PLATONIS PROTAGORAS

COLUMBARIIS. — EX TYPIS PAULI BRODARD.

PLATONIS PROTAGORAS

SIVE SOCRATICA DE NATURA VIRTUTIS DOCTRINA

HÆC APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

DISPUTABAT

E. JOYAU

Scholæ Normalis olim alumnus.

PARISIIS

EDEBANT GERMER BAILLIÈRE ET SOC. BIBLIOPOLÆ

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC LXXIX

ERUDITISSIMO VIRO

A. FOUILLÉE

IN SCHOLA NORMALI

PHILOSOPHIÆ OLIM PROFESSORI

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS

AUCTOR.

PLATONIS PROTAGORAS

PROŒMIUM

Mirum in errorem inciderunt permulti doctissimorum virorum qui de Socrate scripserunt : nam his verbis decepti quæ dictitabat : « Se nihil scire, nihil ullum hominem unquam docuisse, » nullam fuisse pro certo habuerunt Socraticam doctrinam ad quam animum intenderent, quum ipse scientiarum ac ratiocinationis parum curiosus, ad morum usus et activam virtutem totas curas impendisset. Qui quam procul a vero erraverint unus e magistris nostris, Xenophontis præsertimque Aristotelis testimonio felicissime usus, dilucide exposuit [1].

Sed ex hoc quasi fonte multi necnon gravissimi errores manaverunt. Quum enim in nonnullis dialogis hoc sibi propositum Plato habeat, ut magistri sui opiniones in lucem proferat, quomodo scriptoris mentem illi intelligere possint, qui nullum inter dogmaticos philosophos locum Socrati censeant esse tribuendum ? Ea igitur causa fuit cur complures Platonis dialogos plerique commentatores perperam interpretati sint, quosdam etiam, quorum nullam rationem reddere potuerint, quasi subditivos et spurios contempserint.

1. V. A. Fouillée, *La philosophie de Socrate*. Paris, 1874.

Quo autem modo *Hippiæ Minoris* partes suscepit ac prospere tutatus est vir præstantissimi ingenii, A. Fouillée, ita nobis de *Protagora* dicere in animo est atque ostendere quid ex illo dialogo addiscere debeamus.

Quum Platonis dialogos ordine instruere atque in tetralogias dispertiri aggressus est Thrasyllus rhetor, aliquod sub titulo uniuscujusque verbum addidit, quo libri materia colorque indicaretur; sic *Protagoram* accusatorium et adversus Sophistas scriptum esse posuit. Illius ipsa verba mutuatus est Diogenes Laertius [1]. Istos auctores secutus Marsilus Ficinus, qui ex Græco sermone in Latinum Platonis scripta convertit, XVII° ordine *Protagoram* sive *Sophistas* (alias *contra Sophistas*) inscripsit : in argumento autem nihil aliud Platonem in mente habuisse asseveravit, nisi ut Sophistas illuderet. Illis assensere qui ætate nostra Platonicos libros in Gallicam linguam transtulerunt, Schwalbœus et V. Cousin : ambo « *Sophistas* » titulo *Protagoræ* subscripserunt; imo in argumento eamdem opinionem V. Cousin defendit quam Ficinus explicaverat [2]. Apud Germanos quoque Brandis, Stallbaumius, Steinhartus in hoc libro censent non Socratis exponi, sed Protagoræ irrideri opinionem [3].

1. *Diog. Laert.*, III, 59 (35). Sextæ tetralogiæ princeps est Euthydemus, sive contentiosus, eversioni inserviens (ἀνατρεπτικὸς), tum Protagoras, seu Sophistæ, accusatorius (ἐνδεικτικὸς), Gorgias sive de rhetorica, qui in evertendo, Menon sive de virtute, qui in tentando versatur (Ambrosio interp. Didot ed.).

2. Il ne faut pas oublier d'abord que le *Protagoras* appartient à la jeunesse de l'auteur, et ensuite que, si son but apparent est bien de résoudre ou de traiter une question particulière, son but moins direct, mais plus réel peut-être, est de nous faire assister au spectacle de tous les sophistes réunis autour de Protagoras, comme Hippias, Prodicus et plusieurs autres personnages célèbres composant en quelque sorte les états généraux de la sophistique, devant lesquels comparaît le jeune Socrate, qui les attaque et les défait pour ainsi dire en bataille rangée dans la personne de leur représentant, Protagoras.... (V. Cousin, *Argument du Protagoras*, sub finem.)

3. Quæ hic de fortitudine disseruntur, ea item cavendum est ne protinus pro decretis mere Platonicis habeantur. Disputat enim Socrates pleraque omnia ad mentem ipsius Protagoræ, ita quidem ut eum per

Quod non omnino probavit anglicus Platonis commentator, Grotus, qui de majoribus quoque rebus agi perspexit, Sophistarum tamen artem præsertim impugnari arbitratus est [1].

Longe alia nobis opinio est, neque *Protagoram* inter historicos refutatoriosque Platonis dialogos sed inter dogmaticos annumerandum esse censemus.

Proponitur sane nobis quidam quasi conventus Sophistarum, inter quos primum locum tenent tres clarissimi illa ætate viri, Protagoras, Prodicus, Hippias : est suum cuique ingenium, distincte expressum, ita ut vivere et coram nobis disserere homines videantur; quantopere eos mirati sint juvenes, quanto cum studio et quasi furore se illis instituendos informandosque tradiderint ostenditur [2] ; irridetur illorum superbia et luxuria, nihil scire coarguuntur, quum multa sibi penitus percepta intellectaque profiteantur [3]. Verum illos nunquam, in hoc dialogo, sine reverentia Socrates alloquitur [4]; nihil in illorum sermonibus aut hebetis aut odiosi deprehendere possumus [5];

suam ipsius rationem in fraudem et errorem inducat. (Stallbaum, *Proleg. ad Prot.*, p. 30.)

1. This dialogue enters upon a larger and more comprehensive ethical theory than anything in the others hitherto noticed. But it contains also a great deal in which we hardly recognise, or at last cannot verify, any distinct purpose, either of search or exposition.... The great and marked antithesis is that between the sophist Protagoras and Sokrates, the Hector and Ajax of the piece : who stand forward in single combat, exchange some serious blows, yet ultimately part as friends.... It is the antithesis between the eloquent popular lecturer and the analytical enquirer and cross-examiner wich the dialogne seems mainly intended to set forth... One purpose of the dialogue is to contrast continuous discourse, with short cross-examining question and answer. (Grote's *Plato,* t. II, ch. XXI p. 29, 75, 48.) Eamdem opinionem tuetur J. S. Kroschel, *Præfatio ad Protag.*, (Lips. 1865), p. 15.

2. Plato, *Protag.*, II, 310 *b* sq.

3. *Protag.*, 315 *c*, 318 *e*, 319 *a*.

4. *Protag.*, 316 *b*, 319 *b*. Vide etiam Socratis Protagoræque altercationem, 334 *d*, 339 *a*.

5. *Protag.*, 333 *e*, 351 *c*. Sunt itaque qui censeant PlatonemSophistæ partibus, non Socratis, ea quæ ipse probaret adscripsisse. V. Rich. Schœne, *De Plat. Protag.* (Lips. 1862), p. 64 sqq.

tantum abest ut inhonesta flagitiosaque doceant ut contra generosiores esse Protagoræ de virtute sensus quam Socratis Grotus contendere potuerit. Quin etiam, ubi Socratis modo crebras rogatiunculas consideramus, modo longas explicationes (nam longis et ipse orationibus haud semel utitur), eum multo magis quam Protagoram in cavillationis crimen incurrere confitemur [1]. Quid enim sibi vult hoc crebro usurpatum et pro manifesto assumptum : est suum omni rei contrarium, unum cuique, neque ulla res in suum contrarium converti potest? Nonne in multa argumentationis vitia incidit, atque a dicto secundum quid, ut dialectici dicunt, continuo transit ad dictum simpliciter ?

Quantuscumque igitur est lepor hujus disputationis Socratis adversus Sophistas, alia tamen huic libro inesse credimus, quibus plus ponderis tribuere deceat, neque tanta marginis admiratione rapimur ut tabulam ipsam considerare negligamus. Socraticam igitur de natura virtutis doctrinam in *Pratogora* exponi et defendi credimus.

Hoc inter omnes fere commentatores constat, *Protagoram* ad Platonis juventutem referendum esse et in primis dialogis collocandum. Sunt etiam qui cum Stallbaumio credant hunc librum Socrate adhuc vivente fuisse scriptum. Non eadem est Groti opinio qui nullum dialogum ante Socratis mortem compositum et maturioribus philosophi annis *Protagoram* tribuendum esse contendit. Utcumque res se habet, Socraticum esse totum hunc librum minime dubitare possumus. Etenim quæcumque hic a Socrate proposita et comprobata cernimus,

1. Hoc Stallbaumio non occurrisse miramur, quum his continuo verbis utatur : « Satis captiose (Socrates)... repente ad alia progreditur... similibus laqueis hominem deinceps denuo irretiturus... Arguta dilogia interlocutorem in fraudem inducit... ridendi vexandique Sophistæ causa gravissimam illam sententiam in dubitationem vocat... Argutis conclusiunculis (Protagoram) deludi atque callide eo promoveri. » (Stallbaum, *Proleg. ad Protag.*, *passim.*)

cum illis plane congruunt quæ a Xenophonte in *Memorabilibus* referuntur. Quæ si cum Platonica disciplina conferimus, quam ex posterioribus libris, ex *Republica* præsertim et *Legibus* [1] cognoscimus, multa et maxima esse apparet quibus inter se differant. Denique Aristoteles quo nemo melius dignoscere potuit quæ Socrati, quæ Platoni disciplinæ adscribendæ essent quique eorum discrepantias frequentissime illustravit, quotiescumque de veteris Socratis opinionibus disserere aggreditur, easdem doctrinas et sæpe iisdem etiam verbis exponit quæ in *Protagora* adhibentur. Socratis ergo ipsius sententiam ex hoc libro cognoscere nobis datur.

Alia etiam causa est cur hunc dialogum inter omnes dignissimum ducamus quem studiose consideremus : Socraticam enim de natura virtutis doctrinam totam et plenam continet, quam in nullo alio libro adeo absolutam reperias. Multæ quidem illius disciplinæ partes in posterioribus dialogis iterum et fusius tractatæ sunt : quæ explanationes summo nobis usui erunt ut quasdam *Protagoræ* sententias facilius intelligamus ; nusquam autem quæ sit vera Socraticæ doctrinæ forma ac facies adeo plene et manifesto deprehendere conceditur : ita ut hic per se dialogus, etiam sine ceterorum ope, intelligi possit, alii sine hujus auxilio nequeant.

Dicere num opus est iisdem artificiis uti in hoc libro Platonem quæ in omnibus operibus suis adhibere solet? Autumat V. Cousin maxime simplicem, ordinatam et sine digressibus esse *Protagoræ* designationem [2] : quod valde mirum illi non videri non potest qui librum intento animo perlegit. Multo magis nobis placet Groti opinio qui nusquam sæpius et deseri et resumi propositam disputationem affirmat [3]. Non multum enim

1. Plato, *Leges*, I, 630 *b*.
2. V. Cousin, *Argument du Protagoras*.
3. Grote's *Plato*, t. II, p. 29.

controversiæ confert longum illud et jucundissimum proœmium; minus etiam longa et acerba quæ medium librum tenet altercatio. In depingendis Sophistis, in referendis illorum ambitiosis et putidis orationibus nimium immorari scriptor videtur; de Simonidis versibus longius disputatur, quam res ipsa postulet; quæ de Epimetheo et Prometheo narrantur (quæ summi momenti esse credimus) et abrupte proferuntur et abrupte relinquuntur. Nullus tandem disputationi finis imponitur; imo postrema a prioribus dissidere videntur[1] : unde factum est ut multi Socratem de nulla re concludere solitum esse et de natura virtutis infitiales tantum et confutatorios sermones habuisse scripserint[2]. Cujus opinionis argumento illum dialogum esse dixerunt, qui inscribitur *Clitopho*; ita vero minime faciant, si illum quoque dialogum, qui cum *Protagora* mire congruit, recte interpretati sint. Ceterum hæc inter sapientis nostri æquales vulgata opinio erat, Socratem efficacissime juvenes ad amandam colendamque virtutem hortari, non eum tamen esse quo duce longissime in illa via progredi possent. Quem in errorem nunquam labetur qui quantum valuerint in informandis adolescentibus Socratis artes et methodus intellexerit[3].

Auctor est Aristoteles poesim, maximeque dramaticam, aliquid habere magis philosophicum quam historiam, eaque ra-

1. Plato, *Protag.*, XL, 361 *a*. Καὶ μοι δοκεῖ ἡμῶν ἡ ἄρτι ἔξοδος τῶν λόγων ὥσπερ ἄνθρωπος κατηγορεῖν τε καὶ καταγελᾶν, καὶ εἰ φωνὴν λάβοι, είπεῖν ἂν, ὅτι Ἄτοποί γ' ἐστέ, ὦ Σώκρ. καὶ Πρωτ....

2. Xenopho, *Mem.*, I, IV, 1. ει δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι, προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δὲ ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανόν, σκεψάμενοι μὴ μόνον ἃ ἐκεῖνος κολαστηρίου ἕνεκα τους πάντ' οιομένους ειδέναι ἐρωτῶν ἤλεγχεν, ἀλλὰ καὶ ἅ λέγων συνημέρευε τοῖς συνδιατρίβουσι, δοκιμαζόντων εἰ ἱκανὸς ἦν βελτίους ποιεῖν τους συνόντας.

3. Les entretiens de Socrate sont remplis de discussions sur des questions peu fructueuses, comme de savoir si la vertu peut être enseignée ou si elle est innée dans l'homme; recherches qui laissaient les choses et les personnes dans leur ancien état et qui rejetaient les interlocuteurs dans les subtilités mêmes dont Socrate s'efforçait de débarrasser la philosophie. (Stapfer, *Biographie universelle :* SOCRATE.)

tionem nostram magis contentam et expletam esse, quia res non uti gestæ sint referat, sed uti geri secundum necessitatem et verisimilitudinem debuerint[1]. Versa igitur vice, non male philosophati erimus si, poetæ instar, *Protagoræ* fabulam pro necessitate et verisimilitudine (Κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον) absolvere tentaverimus.

Ubi disputandi finem fecere, collocutores discesserunt. Hippocrates vero, ingenio promptus et acer, scientiæ veritatisque sitiens juvenis, mirum in modum commovetur et perturbatur[2]. Itaque dum quæ dicta et responsa, quæque a Socrate consultissime aperta sunt secum reputat, parturit, ut ita dicam, illius animus et sua vi quatuor scita in lucem profert quæ Socratem vere docuisse, quum eo discipulum adduxerit ut ea non concipere et pro veris accipere non potuerit, quamvis ea ipse non elocutus sit, dicemus. Fingamus enim hoc nobis contigisse ut Socrati loquenti interessemus et de illius verbis cogitaremus : pro explorato habebimus certam esse Socrati et secum optime consentaneam doctrinam quæ his quatuor velut fundamentis nitatur :

1° Una revera est virtus, neque plures nisi specie virtutes esse possunt ;

2° Eadem virtus et scientia est, neque aliud est bene agere quam quid bonum sit scire, male agere quam quid bonum sit ignorare ; nullo modo fieri potest ut is male agat qui quid bonum sit intelligat ;

3° Eam vero scientiam non in hujus vel illius disciplinæ stu-

1. Aristoteles, *Poetica*, IX.

2. Nihil enim in toto dialogo legimus quod his Kroschelii fidem facere queat : « Hippokrates, quum neque Sokratem prosequatur, neque ad Protagoram se applicaverit, ex hoc colloquio omne doctrinæ studium ut molestius missum videtur fecisse » (J. S. Kroschel, *Notæ ad Protag.*, p. 174) ; neque ullum ei argumentum afferre credimus illam, quam commemorat, Simplicii sententiam (Simplic., p. 311 *b*, ad Epict. Enchir., 46, 2).

dio incumbendo, sed ipsius rectæ rationis acumen exercendo et promovendo adipisci possumus;

4° Quem ad finem si volumus pervenire, non Sophistis nos neque poetis, neque politicis viris informandos tradere, sed cum Socrate familiariter vivere debemus[1].

1. Xenopho, *Mem.*, I, II, 58. 'Αλλὰ Κρίτων.... καὶ ἄλλοι οἳ ἐκείνῳ συνῆσαν, οὐχ ἵνα δημηγορικοὶ γένοιντο, ἀλλ' ἵνα καλοί τε κἀγαθοὶ γενόμενοι καὶ ὄικῳ καὶ οἰκέταις καὶ οἰκείοις καὶ φίλοις καὶ πόλει καὶ πολίταις δύναιντο καλῶς χρῆσθαι. Καὶ τούτων οὐδεὶς οὔτε νεώτερος οὔτε πρεσβύτερος ὢν οὔτ' ἐποίησε κακὸν οὐδὲν οὔτ' αἰτίαν ἔσχεν.... (I, II, 64.) Φανερὸς ἦν τῶν συνόντων τοὺς πονηρὰς ἐπιθυμίας ἔχοντας τούτων μὲν παύων, τῆς δὲ καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς.... προτρέπων ἐπιθυμεῖν.

CAPUT I

DE BONI NATURA

I. Errant qui putant ea demum bona Socratem judicavisse, quæ utilia essent. — II. Bonum est quod ex natura ac conditione nostra dialectice sequitur.

I. Quum a plerisque hominibus perperam definiri Boni essentiam sœpius Socrates ostenderit, qualem illius esse naturam ipse judicaret nunquam apertis verbis declaravit. Non defuere igitur inter illius æquales qui nihil habere eum quod doceret interpretarentur. « Ceteros, aiebant, interrogando ac confutando continuo derides. Ipse vero tuam de nulla re mentem aperis neque eo te adduci pateris ut opinionis tuæ ratio reddenda sit ; nunc maxime luce manifestius est te hoc effugere velle ne quid esse justum censeas dicere oporteat[1]. » Illam sententiam nonnulli recentiorum commentatorum probaverunt nullamque esse Socraticam de natura boni doctrinam scripserunt : quod quis satis mirari possit, quum per totam vitam de nulla re nisi de iis quæ ad bonum pertineant disputaverit?

1. Xenopho, *Memorab.*, IV, IV, 9, 11. Ἀλλὰ, μὰ Δί', ἔφη, οὐκ ἀκούσῃ, πρὶν γ' ἂν αὐτὸς ἀποφήνῃ ὅ τι νομίζεις τὸ δίκαιον εἶναι. ἀρκεῖ γὰρ ὅτι τῶν ἄλλων καταγελᾷς ἐρωτῶν μὲν καὶ ἐλέγχων πάντας, αὐτὸς δὲ οὐδενὶ θέλων ὑπέχειν λόγον οὐδὲ γνώμην ἀποφαίνεσθαι περὶ οὐδενός.... Δῆλος εἶ ἔτι καὶ νῦν διαφεύγειν ἐγχειρῶν τὸ ἀποδείκνυσθαι γνώμην ὅ τι νομίζεις τὸ δίκαιον.

Nihil contra imperfectum aut dubium Socrates relinquere voluit; nihil enim majoris pretii faciebat quam clara aptaque verba (ἀκριβολογίαν) : « Omitte jam, inquit, istud *si vis*, *si tibi placet*[1]. » Quæ de Simonidis versibus in *Protagora* disputantur, tam longa, tam subtilia, tam reliquæ controversiæ parum cohærentia, ad hoc unum spectare videntur ut appareat nihil nos ex poetis discere posse, quorum carmina quidem multis variisque modis interpretari, verum autem consilium nunquam assequi valeamus.

Hoc primum Socrati placuisse constat, nihil esse quod bonum dici ipsum per se possit, nullius rei ratione habita, neque in mentem venire posse ut aliquid bonum sit quod ad nihil attineat[2].

Plerosque autem commentatorum in gravissimos errores induxerunt hæc ipsa Socratis verba : quodcumque bonum est ἀγαθὸν πρός τι est; quæ sic explicant : nihil bonum est, quod non ad aliquid bonum sit. Dicitur ergo Socrates ad finem semper et ad exitus facinorum spectavisse eaque sola bona judicavisse, ex quibus voluptatis aut utilitatis aliquid percipere, ea mala, ex quibus doloris aut detrimenti aliquid pati possemus[3]; ea vero quæ nihil nobis neque conferre neque detrahere deberent, neque bona neque mala putavisse. « Hoc, ut illi aiunt, nostrum esse officium docet ut animum advertamus, res scienter perpendamus, quo quæque modo cessura sit provideamus,

1. Plato, *Protag.*, 331 *c*.
2. Xenopho, *Memor.*, III, VIII, 2, 3. Εἴ γ' ἐρωτᾷς με εἴ τι ἀγαθὸν οἶδα ὃ μηδενὸς ἀγαθόν ἐστιν, οὔτ' οἶδα, οὔτε δέομαι.
3. Grote, *Plato*, t. I, ch. XIX, p. 541. In the *Protagoras*, Sokrates asserts and proves at length that good is at the bottom identical with pleasure and evil with pain : that the measuring or calculating intelligence is the truly regal art of life, upon which the attainment of good depends : and that the object of that intelligence, the items which we are to measure, calculate and compare, are pleasures and pains, so as to secure to ourselves as much as possible of the former, and escape as much as possible of the latter.

eamque deligamus quæ nostra maxime interfutura sit. Est quædam omnium scientiarum regina quæ nos beatos præstare sola potest, dum nos idoneos facit ad recte de utilitate nostra judicandum. Hic demum bonus vir, qui voluptatis utilitatisque adeo bonus ratiocinator computatorque exsistit ut quam plurima sibi bona arripiat, quam plurima mala declinet. » Res igitur ex utilitate æstimat Socrates, utilitatem ex voluptate. Nullum alium sibi finem proponit nisi ut homines ad felicitatem adducat [1]. Neque alia causa est cur virtutem colendam prædicet quam quod rectissima et tutissima via nos ad puras voluptates ducit, dum gravissima nobis mala acerbique dolores ex vitiis consequuntur.

Multa procul dubio sunt ex quibus illam Socrati mentem fuisse minus attenti lectores suspicari potuerint. Sæpe enim quantos fructus ex virtute perciperemus, quot mala ex vitiis orirentur longis sermonibus expediebat [2]. Nonne ad illam ipsam doctrinam pertinere videntur hæc gravissima *Protagoræ* verba, ubi nihil aliud designatur, cujus rationem habeamus, quam dolor ac voluptas : « An vero ob aliud hæc bona sunt quam quod in voluptates desinunt et molestias pellunt ? Aut aliumne finem invenire potestis ad quem respicientes ea bona vocatis ?... Si quo modo potestis aliud quid dicere esse bonum quam voluptatem et malum quam dolorem [3]. »

Parum profecto interesse credas inter nostri philosophi μετρικὴν τέχνην et illam moralem arithmeticam cui tantum momenti nostra ætate Bentham attribuit [4]. Inter illos igitur annumerandus videtur Socrates qui nostra memoria *utilitarianis-*

1. *Zeller*, p. 134 (106). Ihrem eigentlichem Wesen nach ist die Sokratische Moral freilich nichts weniger als eudämonistisch.
2. Xen., *Mem.*, III, VIII, 5; IV, VI, 8, 9. — Plato, *Alcib.*, II, 145 *c*; *Gorg.*, 474 *d*, 475 *a*, 499 *c*; *Rép.*, VI, 505 *a*. — Cicero, *De offic.*, III, III, 11.
3. *Protag.*, 354 *b*, 355 *a*.
4. P. Janet, *La morale*, liv. I, ch. I, p. 127.

mum (verbo nobis uti liceat) defenderunt, neque primo inter illos ordine dignus, quum angusti nonnihil in ejus doctrina deprehendas ubi illam cum Millii æqualiumque nostrorum sententiis conferas; quin etiam Protogora Socratem inferiorem esse Grotus scripsit, nam privatam tantummodo hic singulorum, communem ille civitatis utilitatem cordi habet[1].

Verumenimvero caveamus ne ponderis plus verbis quam sensibus tribuamus neve ea ex scriptione interpretati quorsum tendant quærere omittamus. Oblivisci enim non debemus Socratem de vulgari opinione cum hominibus communis doctrinæ participibus disputare et populari verborum usui inservire. Ea communiter bona nuncupamus, ea cupimus, quæ aliquid voluptatis nobis afferunt. Et quum ingenium suum plerique non adeo exercuerint ut de boni malive natura judicium ferre queant, facta sua ex voluptate aut dolore quibus afficiuntur æstimant. Hoc igitur Socrates ostendere voluit, securam voluptatem virtutis primum præmium esse, neque ampliore aut meliore unquam gaudio nos frui quam quum recte egerimus[2]. Ecquis autem, dummodo *Philebum* legerit, dubitare poterit quin minus quot et quantæ quam quales voluptates essent considerandum putaverit? Ecquis eum nullum alium homini finem proposuisse credet, quam voluptatem utilitatemque, quum toties, in *Gorgia* præsertim, miseriorem eum professus sit qui injuriam alteri inferret, quam qui pateretur[3]? Nonne apertissime eum docet temperantis nomine minime dignum esse qui nihil nisi voluptates respicit, eas inter se comparat, et intemperantia temperantiam colit[4]? Quoniam

1. Grote's *Plato*, t. II, ch. XXI.
2. Xén., *Mém.*, I, VI, 9. Οἴει οὖν ἀπὸ πάντων τούτων τοσαύτην ἡδονὴν εἶναι, ὅσην ἀπὸ τοῦ ἑαυτόν τε ἡγεῖσθαι βελτίω γίγνεσθαι καὶ φίλους ἀμείνους κτᾶσθαι; Cf., IV, v, 10; IV, VIII, 6.
3. Plato, *Gorg.*, 474 *b*, 469 *b*.
4. Plato, *Phædo*, 68 *e*, 69 *a*.

autem inter omnes constat eam esse virtutem quam voluptas semper consequatur, non ideo sane bonam eam esse, sed eo saltem signo agnosci posse censebat. Quod adeo verum est ut ipse Kantius, quo nemo in suspicionem utilitarianismi minus venire potest, nulla nos alia coticula bonum malumque discernere posse docuerit quam ex dolore atque voluptate[1]. Quum igitur nullis aliis verbis usus sit Socrates, videamus ne specie decepti falsum de eo judicium feramus.

II. Auctor est contra A. Fouillée[2] esse aliquid, secundum Socratem, summum bonum, quod sapiens mente concipiat, ad quod se erigere conetur : quæ doctrina, ut maxime Platonica est, ita a Socratis sententia longe abesse et nullo veterum scriptorum documento defendi posse videtur.

Verum dum quæcumque bona essent ratione habita alicujus rei bona esse docebat, non consequentia, sed tempora circumstantiasque innuebat : facta non ex eventu, sed ex causa judicabat. Ut recte necne fecerit aliquis æstimemus, nequaquam opus est ut exitum exspectemus omniaque conspiciamus quæ secuta sint : ante etiam quam propositum perficiat judicium ferre possumus, dummodo et qui sit quoque in rerum statu versetur plane sciamus : unde fit ut antequam agamus bonumne sit quod mente conceperimus cognoscere nobis detur, nedum periclitatione tantum peccavisse nos serius sentiamus.

Dialecticam sequi, non utilitatem considerare debemus. Bonum est quod, præmissa nostra indole, præmissa hominis,

1. Kant, *Kritik der praktischen Vernunft*, Rosenkrantz, p. 183. — So könnte der Probierstein des Guten oder Bösen in nichts anders, als in die Uebereinstimmung des Gegenstandes mit unserem Gefühle der Lust oder Unlust gesetzt werden, und der Gebrauch der Vernunft könnte nur darin bestehen, theils diese Lust oder Unlust in ganzen zusamenhange mit allen Empfindungen meines Daseins, theils die Mittel, nur den Gegenstand derselben zu verschaffen, zu bestimmen. — Cf. Arist., *Ethic. Nicom.*, VII, xi, 2. Τὴν γὰρ ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν τὴν ἠθικὴν περὶ λύπας καὶ ἡδονὰς ἔθεμεν.

2. A. Fouillée, *Philosophie de Socrate*, liv. II.

civis, amici, parentis, filii natura, datis vinculis quibus cum ceteris mortalibus conjungimur, necessario argumento concluditur. Bonum mentis naturale, ut ait Leibnitzius, quum est voluntarium, fit bonum morale[1]. Quum ita a natura informati simus, est quod nos ratio facere jubeat. Qui hac vel illa dote fruitur, ei hoc vel illud agendum esse dialectica docet. Prout res se habent, non eadem diversis temporibus respondent; neque aliud bonum esse potest quam quod ex dialectico ordine fieri debet. Bona pulchraque sunt quæ agimus, quoties cum conditione nostra bene, mala et turpia quoties male concordant. Neque aliis verbis boni naturam designat Aristoteles : « Bonum est quod recta mens describit, et temporum et rerum et hominum ratione habita[2]. » Hoc igitur Socrati placet nullam esse agendi rationem, quæ non modo bona, modo prava esse possit[3] : nihil interdum nobis plus laudis ac gloriæ conciliare quam cædem atque latrocinium, quum ea tempus et ratio postulent. Ea autem omnia quæ plerique hominum bona nuncupant inter mala sæpe collocanda sunt[4]; quippe et vita, et valetudine, et divitiis, et scientia nunc secundum rationem, nunc adversus rationem, id est nunc bene, nunc male, uti possu-

1. Leibnitzius, *Epist. ad Wolfium*.

2. Xén., *Mém.*, III, VIII, 7. Πάντα γὰρ ἀγαθὰ μὲν καὶ καλὰ ἐστι πρὸς ἅ ἂν εὖ ἔχῃ, κακὰ δὲ καὶ αἰσχρὰ πρὸς ἅ ἂν κακῶς. — Eodem prope modo ab *Aristotele* natura boni describitur : *Eth. Nic.*, II, II, 1104 *b*, 8. Τὸ μὲν οὖν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν, κοινὸν, καὶ ὑποκείσθω. — II, VI, 1106 *b*, 21. Τὸ δὲ ὅτε δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς, καὶ πρὸς οὓς, καὶ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον, ὅπερ ἐστὶ τῆς ἀρετῆς. — 1106 *b*, 36. ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν. — VI, I, 1139 *a*. τὸ δὲ μέσον ἐστὶν ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει.

3. Xén., *Mém.*, IV, II, 13-19. — Plato, *Répub.*, I, 331 *c*, *d*, *e*, II, 382 *c*, III, 389 *b*. V. 459 *c*. *Alcib.*, I, 115.

4. Grote's *Plato*, t. I, ch. X, p. 337. An act which is good, honourable, just, expedient, etc., considered in one aspect or in reference to some of its conditions may be at the same time bad, dishonourable, unjust, inexpedient, considered in another aspect or in reference to other conditions... but every act, in so far as it is just and honourable is also good and expedient.

mus. Animi etiam vis constantiaque ambigua (ἀμφίλογος) neque ipsa per se, sed quum rationem ducem sequitur, bona est.

Considerate porro cur virtutem Socrates colendam esse dicat : hoc unum, inquit, hominis naturæ conveniens est, hoc nos ratio facere jubet, hoc unum probat; qui autem libidinibus inservit peccat, quod contra rationem et dialecticam facit[1].

Justus, ut ait Socrates, ille est qui suorum civium jura religiose observat, pius qui deorum cultum secundum leges administrat[2]. Quantam vim ista verba haberent perpauci intellexisse videntur. Non enim de humanis tantum legibus agitur : multa enim inter illas discrimina perspiciuntur; plurima illarum et gravissima vitia præsto sunt. Aliæ autem veræ et perfectæ leges sunt quas, quum nusquam inscribantur (ἄγραφοι νόμοι), animus tamen sapientis viri distincte concipit et sibi pro ducibus assumit : quæ eadem omnibus officia injungunt.

In mentem nobis veniant quæ in *Gorgia* tam dilucide disputantur. Sunt qui aliam naturam, aliam legem esse dicant; eam opinionem Sophistæ defendunt : quibus strenuissime Socrates adversatur[3] neque quidquam nisi natura, id est ex ratione, justum esse docet. Legem enim ejus quod sit inventionem esse definiendo explicat[4]. Valde igitur accepta illi fuisset hæc a celeberrimo superioris sæculi philosopho allata definitio : Leges eas voco quæ ex rerum natura et conjunctione necessario manant[5].

Nunc autem cur ea pulchra esse dictitet quæ bona sint apparet : eadem enim norma utitur quoties de decore agitur, eaque tantum formosa esse pronunciat quæ rebus, personis, tempo-

1. Plato, *Gorgias*, LXII, LXIII, 506 *c* — 508 *c*.
2. Xén., *Mém.*, IV, IV, 12 sq. Cf. IV, VI, 6; IV, III, 16.
3. Plato, *Gorgias*, 482 *e*.
4. Plato, *Minos*, 317 *d*. Ὀρθῶς ἄρ' ὡμολογήσαμεν νόμον εἶναι τοῦ ὄντος εὕρεσιν; — φαίνεται.
5. Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. I, ch. I.

ribus apte congruant moremque rationi gerant, ea vero mala deformiaque æstimat quæcumque contra legem et rationem fiant (παράνομα, παράλογα).

Plane ergo Socratica est stoïcorum sententia : naturam, et eam humanam, sequatur cui bene agere cordi est. Nam quum boni essentiam definiendam Socrates sibi proposuerit, nihil inter illius sententiam differt et id quod stoïci perfectum bonum (κατόρθωμα) appellaverunt : quod utrique ex recta ratione descripserunt.

Quod si rectum de aliquo judicium ferre et quanti quisque sit ponderare volumus, non solum ad facta ipsa sed ad tempora et causas respicere et quasi materiam facinoris minus quam formam considerare debemus nullique unquam boni viri nomen tribuere, nisi ea ipsa quæ ratio jusserit perfecerit.

Quam mirum in modum ista Socratis doctrina cum Kantii institutis conveniat, quis non perspicit? Huic enim non eam esse moralem legem placet quæ nos ea quæ bona sint facere jubeat, sed ea bona esse quæ lege morali præscribantur [1]. Quum autem una eademque lex omnibus imponatur, quod, patratum a me, bonum esse pronunciatur, hoc idem semper, in omnibus terris, quotièscumque similis rerum status occurret, bonum vocari debebit; neque recte egero, nisi hoc idem perficiendi omni viro qui, simili indole prœditus in similem conditionem et temporum concursum inciderit, officium injungatur [2]. Errat qui putat hoc bonum esse quod unicuique videatur. Hominem omnium mensuram esse (ἄνθρωπον πάντων

1. Kant, *Kritik der praktischen Vernunft*, Rosenkranz, p. 183. Der Begriff des Guten und Bösen nicht vor dem moralischen Gesetze (dem es dem Anschein nach sogar zum Grunde gelegt werden müsste), sonder nur (wie hier auch geschieht) nach demselben und durch dasselbe bestimmt werden müsse.

2. Kant, *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten* (sammtliche Werke, Rosenkranz, VIII, p. 22). Dass ich auch wollen könne, meine Maxime solle ein allgemeines Gesetz werden.

μέτρον) docebat Protagoras ; quæ quantopere falsa esset opinio Socrates in *Theæteto* demonstravit[1]. Est quod natura bonum, natura malum sit, quod multi sæpe ignorant, quod omnes semper exsequuntur, qui cognoscunt.

Nostri arbitrii profecto sumus, quamdiu rationi suadenti paremus, cujus ubi imperium detrectamus, ditionis fimus alienæ[2]. Quis vero ignorat quod ab Aristotele demonstratum est : voluptatem ex industriæ nostræ exercitatione oriri : nunquam nos beatos nisi agendo fieri posse, quum voluptate actio ipsa velut perficiatur et absolvatur[3]; neque majore nos lætitia perfundi quam quum magis nostri juris fuerimus. Quid plura? Virtutem semper summa voluptas sequitur, neque alia causa est cur Socrates, iisdem fere verbis usus, quibus Aristoteles, omnia quæ recte acta essent in voluptatem desinere (εἰς ἡδονὰς ἀποτελευτᾶν) dictitaverit[4], nedum eum Aristippo viam aperuisse arbitremur.

1. Plato, *Theætet.*, 151 *e* — 160 *e*.
2. Xén., *Mém.*, IV, v, 3.
3. Aristt., *Eth. Nic.*, X, iv, (8) 1175 *a*,
4. *Protag.*, 354 *b*.

CAPUT II

DE VIRTUTIS NATURA

I. Cur unam omnino virtutem esse Socrates docuerit. — II. Nihil aliud esse virtutem, nisi scientiam.

Quid de virtutis natura Socrates sensuerit quum multi ante nos perspicue exposuerint et nemo fere sit qui ignoret non multis verbis opus est memoremus.

I. Unam omnino yirtutem esse docebat. Longe ab ista sententia abhorret vulgi judicium qui plures esse virtutes æstimat, aliam temperantiæ inesse naturam credit, aliam fortitudini, aliam prudentiæ, neque ob easdem causas laudari prudentem virum aut strenuum arbitratur, quum sua quisque dignitate præstet. Communem ergo opinionem secutus Sophista[1], ne suus de virtute sermo mancus videretur, multas ex ordine virtutes annumeravit : quod Socrates valde miratur[2] : ἔλεγες γὰρ ὅτι ὁ Ζεὺς τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν αἰδῶ πέμψειε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ αὖ πολλαχοῦ ἐν τοῖς λόγοις ἐλέγετο ὑπό σοῦ ἡ δικαιοσύνη, καὶ σωφροσύνη, καὶ

1. Arist., *Politica*, I, XIII, 1260 *a*, 22. ὥστε φανερὸν ὅτι ἐστὶν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων πάντων καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρός, οὔτ' ἀνδρία καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης, ἀλλ' ἡ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρία, ἡ δ'ὑπηρετική.... πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετάς.
2. *Protag.*, 329 *c*, *d*.

ὁσιότης, καὶ πάντα ταῦθ' ὡς ἕν τι εἴη συλλήβδην, ἀρετή. Ταῦτ' οὖν αὐτὰ δίελθέ μοι ἀκριβῶς τῷ λόγῳ, πότερον ἓν μέν τί ἐστιν ἡ ἀρετή, μόρια δὲ αὐτῆς ἐστιν ἡ δικαιοσύνη, καὶ σωφροσύνη, καὶ ὁσιότης, ἢ ταῦτ' ἐστὶν ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον πάντ' ὀνόματα τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς ὄντος; Una res Protagoræ oculos perstrinxit, scilicet quantum inter se differrent virtutes[1] : ἆρ' οὖν οὕτω καὶ τὰ τῆς ἀρετῆς μόρια οὐκ ἔστι τὸ ἕτερον οἷον τὸ ἕτερον, οὔτε αὐτὸ οὔθ' ἡ δύναμις αὐτοῦ;.... — Ἀλλ' οὕτως, ἔφη, ἔχει, ὦ Σώκρατες. — Καγὼ εἶπον, οὐδὲν ἄρ' ἐστι τῶν τῆς ἀρετῆς μορίων ἄλλο οἷον ἐπιστήμη, οὐδ' οἷον δικαιοσύνη, οὐδ' οἷον ἀνδρεία, οὐδ' οἷον σωφροσύνη, οὐδ' οἷον ὁσιότης. — Οὐκ ἔφη. Plerique enim homines ad ea præsertim animum advertunt quibus res inter se discrepant, dum Socrates ea præcipue consideranda esse putat quibus similes sunt, neque nos prius rectam de rebus opinionem habituros, quam eas in sua genera reduxerimus unaque omnes descriptione conjunxerimus[2].

Communi tamen vinculo virtutes Sophista, quantumvis dissimiles, contineri et in unum coire fatetur, tanquam ex diversissimis partibus vultus humanus confingitur. Verum illud Socrati non satis est, quippe qui parum liquida oratione uti, dubiis et incertis sententiis immorari nequeat. Omnis enim definitio ad naturam spectat, ad essentiam, ad id quod Aristoteles τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἐστι vocat[3]. Quid igitur sit virtus curque rectum honestumque hoc factum, malum illud judicetur, quærendum sibi proponit. Singulas virtutes explorat et perpendit ut uno eodemque verbo omnes definiri posse demonstret.

De unaquaque quæstionem iisdem ferme verbis orditur : ἡ δικαιοσύνη πρᾶγμα τὶ ἐστιν, ἢ οὐδὲν πρᾶγμα;... οὐκοῦν καὶ ὁσιότητα τινά

1. *Protag.*, 330 *a*, *b*.
2. Plato, *Phædr.*, 265 *d*. εἰς μίαν τ' ἰδέαν συνορῶντ' ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, ἵν' ἕκαστον ὁριζόμενος δῆλον ποιῇ περὶ οὗ ἂν ἀεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ, ὥσπερ τὰ νῦν δὴ περὶ Ἔρωτος ὃ ἔστιν ὁρισθέν, εἴτε εὖ εἴτε κακῶς ἐλέχθη. Cf. *Sophista*, 253 *d*, *e*.
3. Arist., *Métaph.*, XII (M), IV, 1078 *b*. ἐκεῖνο εὐλόγως ἐζήτει τὸ τί ἐστιν.

φατε εἶναι[1]; est ergo sua cuique virtuti vis, qua designari debeat; quæ qualis sit quæritur. Neque de tota justitiæ fortitudinisve natura nobis curandum est, sed solummodo quatenus inter virtutes locum habent. Quum enim complures vivendi consuetudines sint, quibus virtutum nomen tribuamus, quæ solæ nobis, si eas sequamur, felicitatem afferant, aliis que hominibus, ubi eas colant, nostram assensionem nostrasque laudes concilient, est profecto in illis omnibus commune aliquid quod plus ponderis afferat majorique studio exquirendum sit quam quæ alia in aliis objiciantur. Sicut nullo modo fieri potest ut id bonum dicamus quod bono adversum sit, ita nunquam eam pietatem dicemus, quæ justitiæ, temperantiamve quæ fortitudini contraria sit.

Non easdem fortitudinem, temperantiam, prudentiam, justitiam, virtutes tamen eas omnes esse manifestum est. Quid ergo? Utrum hoc illis virtutum vim affert quod cuique proprium est, an quod omnibus commune? Ex duobus partibus constat uniuscujusque descriptio quarum una alia aliarum, altera eadem omnium est : hanc solam pro virtutis definitione suscipere debemus[2].

Quantam vim habeat illa Socratis argumentatio Protagoras minime intelligit, fallacibusque cavillationibus adversarium suum uti ratus, ratiocinationem ejus irridere tentat[3]. Ἀλλὰ μέντοι, ἦ δ'ὅς, προσέοικέ τι ἡ δικαιοσύνη ὁσιότητι· καὶ γὰρ ὁτιοῦν ὁτῳοῦν ἁμῃγέπῃ προσέοικέ. τὸ γὰρ λευκὸν τῷ μέλανι ἔστιν ὅπῃ προσέοικέ, καὶ τὸ σκλήρον τῷ μαλακῷ, καὶ τἆλλ' ἃ δοκεῖ ἐναντιώτατα εἶναι ἀλλήλοις. Καὶ ἃ τότ' ἔφαμεν καὶ ἄλλην δύναμιν ἔχειν, καὶ οὐκ εἶναι τὸ ἕτερον οἷον τὸ ἕτερον,

1. *Protag.*, 330 *b*, *d*.
2. Plato, *Meno*, 72 *c*. ἕν γέ τι εἶδος ταὐτὸν ἅπασαι ἔχουσι δἰ ὅ εἰσὶν ἀρεταὶ, εἰς ὃ καλῶς που ἔχει ἀποβλέψαντα τὸν ἀποκρινόμενον τῷ ἐρωτήσαντι ἐκεῖνο δηλῶσαι, ὅ τυγχάνει οὖσα ἀρετὴ... *Meno*, 73 *c*. Πάντες ἄρ' οἱ ἄνθρωποι τῷ αὐτῷ τρόπῳ ἀγαθοί εἰσι· τῶν αὐτῶν γὰρ τυχόντες ἀγαθοὶ γίγνονται. — Cf. quæ de pietatis definitione dicuntur, *Euthyphro*, 5 *d*.
3. *Protag.*, 331 *d*.

τὰ τοῦ προσώπου μόρια, ἀμηγέπῃ προσέοικε καὶ ἔστι τὸ ἕτερον οἷον τὸ ἕτερον. ὥστε τούτῳ γε τῷ τρόπῳ κἂν ταῦτ' ἐλέγχοις, εἰ βούλοιο, ὡς ἅπαντ' ἐστὶν ὅμοια ἀλλήλοις. ἀλλ' οὐχὶ τὰ ὅμοιόν τι ἔχοντα ὅμοια δίκαιον καλεῖν, οὐδὲ τὰ ἀνόμοιόν τι ἔχοντα ἀνόμοια, κἂν πάνυ σμικρὸν ἔχῃ τὸ ὅμοιον. Illa sane odiosa reprehensio est, sed in quam Socrates minime incidat Non enim agitur de similitudinibus discriminibusque (περί τῶν ὅμοιόν τι ἢ ἀνόμοιον ἐχόντων); non ea quæstio est : utrum plura sint quibus virtutes inter se similes sint, an quibus differant (μέγα ἢ μικρὸν ᾖ τὸ ὅμοιον). Non enim omnia idem momentum habent ex quibus res quæque constat : sunt quæ arctissima cognatione conjungantur, quum dissimillimam speciem præ se ferant. Ea ipsa virtutum est conditio. Aliquid enim reperire possumus quod quicumque possideat viri boni nomen adipiscatur, quo autem deficiente, virtus omnino esse non possit. Quod quum unum semperque idem sit, hoc uno virtutem contineri, vel unam esse virtutem, recte dixerimus.

Non eamdem tamen sententiam Socrates protulit quam Stoïci postea tuiti sunt, neque absolute nobis placet hoc M. Tullii verbum : « Sunt Socratica pleraque mirabilia Stoïcorum quæ παράδοξα nominantur[1]. » Nam, si Stoïcis fidem adhibemus, in eo omnes virtutes effulgent qui virtutem unam possidet; qui sapiens, idem justus, temperans, fortis, omnino perfectus vir est : nullam autem virtutem possidet qui non omnes colit. Illud idem Socrates sane dicere videtur; sed si illius sensus expedire valemus neque hac tanta subtilitate decipimur qua ille, ingenii acumine inter Græcos Atheniensesque ipsos excellens, adversarios suos implicare gaudebat, hoc eum docuisse agnoscimus, easdem prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam non plane, sed quatenus virtutes, esse : neque alia de causa virtutum nomina eas adipisci quam quod aliquid

1. Cicero, *Acad. priora*, II, XLIV, 136. Cf. *Paradoxa*, Procemium 4.

in iis omnibus insit quod ipsum per se virtutem constituat

II. Quæ vero ea conditio sit quæ virtutem sua præsentia gignat, absentia tollat, Socrates apertissime exponit : eamdem enim esse virtutem et scientiam, eamdem malitiam et ignorantiam continuo proclamat; neque de illa re magis quam de ceteris opinio ejus immutatur. Quod quum multis non solum Platonis [1], sed etiam Xenophontis [2] Aristotelisque [3] testimoniis approbetur, agnoscunt omnes commentatores tum veterum temporum [4] tum recentiorum [5].

Eamdem igitur doctrinam in *Protagora* propositam invenimus. Ac ne quid incerti aut male definiti Socratis sententiæ inesse suspicaremur, omnium ex ordine virtutum claris et liquidis verbis definitionem scriptor attulit. Ille demum fortis est qui et metuendorum et non metuendorum scientiam possidet (ἡ σοφία ἄρα τῶν δεινῶν καὶ μη δεινῶν ἀνδρεία ἐστί [6]); ille autem ignavus qui quænam metuenda quænam non mutuenda sint

1. Plato, *Euthyd.*, 292 *b*. Ἀγαθὸν δέ γέ που ὡμολογήσαμεν ἀλλήλοις οὐδεν ἄλλο εἶναι ἢ ἐπιστήμην τινά. — *Laches*, 194 *d*.

2. Xenopho., *Mem.*, III, IX, 4. Σοφίαν δὲ καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν... Cf. III, I, 4; III, IV, 6.

3. Arist., *Ethic. Nicom.*, VI, XIII, 1144 *b*. Διόπερ τινές φασι πάσας τὰς ἀρετὰς φρονήσεις εἶναι, καὶ Σωκράτης τῇ μὲν ὀρθῶς ἐζήτει, τῇ δ'ἡμάρτανεν.... Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι (ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας). — *Magn. Mor.*, I, I, 1182 *a*, 15. Σωκρ. τὰς ἀρετὰς ἐπιστήμας ἐποίει. Cf. I, I, 1183 *b*, 8. — *Eth. Eud.*, I, V, 1216 *b*, 2. Σωκράτης μὲν ὁ πρεσβύτης ᾤετ' εἶναι τέλος τὸ γιγνώσκειν τὴν ἀρετήν, καὶ ἐπεζήτει τί ἐστιν ἡ δικαιοσύνη, καὶ τί ἡ ἀνδρία, καὶ ἕκαστον τῶν μορίων αὐτῆς. ἐποίει γὰρ ταῦτ' εὐλόγως· ἐπιστήμας γὰρ ᾤετ' εἶναι πάσας τὰς ἀρέτας. ὥσθ' ἅμα συμβαίνειν εἰδέναι τε τὴν δικαιοσύνην καὶ εἶναι δίκαιον.

4. Cicero, *De orat.*, II, 47, 204. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendæ percipiendæque virtutis (quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent esse se, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam). *Diog. Laert.* (ὁ Σωκράτης) ἔλεγε καὶ ἕν μόνον ἀγαθόν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην, καὶ ἓν μόνον κακόν, τὴν ἀμαθίαν. II, 5, 31.

5. Zeller, *Die philosophie der Griechen*, t. II, p. 159 (130). Bei Sokrates gerade die Erkenntniss der Warheit der letzte zweck ist, und in ihr erst die Norm für das Verhalten der Einzelnen gefundet wird. — Cf. p. 118 (98).

6. *Protag.*, 360 *d*. Cf. *Laches*, 193.

ignorat (οὐκοῦν καὶ ἡ τῶν δεινῶν καὶ μὴ δεινῶν ἀμαθία δειλία ἂν εἴη [1]); quam constantem Socratis opinionem fuisse Aristoteles confirmat [2]. Ὁ Σωκράτης ᾠήθη ἐπιστήμην εἶναι τὴν ἀνδρείαν. Et idem alias [3] : ἡ ἀνδρία, ὥσπερ Σωκράτης ἔφη, διὰ τὸ εἰδέναι τά δεινά ἐστι.

Simili modo ceteras virtutes describebat. Illos temperantes moderatosque esse dicebat, qui vera falsaque gaudia discernere scirent; illos pios qui quibus legibus deos colere (ὁ ἄρα τὰ περὶ τοὺς θεοὺς νόμιμα εἰδὼς ὀρθῶς ἂν ἡμῖν εὐσεβὴς ὡρισμένος εἴη; — ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ [4]), illos justos qui cognovissent quibus legibus cum hominibus vivere deberemus (ὀρθῶς ἄν ποτε ἄρα ὁριζοίμεθα, ὁριζόμενοι δικαίους εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ περὶ ἀνθρώπους νόμιμα [5]). Eadem etiam justi viri definitio in Platonis *Gorgia* proponitur : οὐκοῦν κατὰ τοῦτον τὸν λόγον καὶ ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς δίκαιος; — πάντως δήπου [6].

Quemadmodum neque ille qui quid sit bonum ignorat bene agere potest, neque is qui bonum aliquid imprudens (ἀγνοῶν) fecit bene egisse et virtutem coluisse dicitur [7], ita versa vice is cujus mente quid bonum sit tenetur male agere non potest [8]. Quid enim hac Socratis doctrina apertius? Σοφίαν δὲ καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τῷ τὰ μὲν καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆσθαι αὐτοῖς καὶ τῷ τὰ αἰσχρὰ εἰδότα εὐλαβεῖσθαι σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔκρινε [9].

1. *Protag.*, 360 *c.*
2. Arist., *Eth. Nic.*, III, XI, 1116 *b*, 4.
3. Arist., *Eth. Eud.*, III, I, 1229 *a*, 15. Cf. 1230 *a*, 7.
4. Xénoph., *Mém.*, IV, VI, 4.
5. Xénoph., *Mém.*, IV, VI, 6. — Cf. III, IX, 5.
6. Plato, *Gorg.*, 460 *b.* — Cf. Incerti auctoris *de Justo*, 375 *c*. Δι' ἐπιστήμην δίκαιος ὁ δίκαιος. — Δι 'ἀμαθίαν ἄδικος ὁ ἄδικος. — Xenoph., *Mem.*, III, IX, 10. Βασιλεῖς δὲ καὶ ἄρχοντας οὐ τοὺς τά σκῆπτρα ἔχοντας ἔφη εἶναι, οὐδὲ τοὺς ὑπο τῶν τυχόντων αἱρεθέντας, οὐδὲ τοὺς κλήρῳ λαχόντας, οὐδὲ τοὺς βιασαμένους, οὐδὲ τους ἐξαπατήσαντας, ἀλλά τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν.
7. *Magn. Mor.*, I, XXXV, 1198 *a*, 10. Οὐδὲν γὰρ ὄφελος εἶναι πράττειν τὰ ἀνδρεῖα καὶ τὰ δίκαια μὴ εἰδότα καὶ προαιρούμενον τῷ λόγῳ.
8. Xen., *Mem.*, III, IX, 5. Οὔτ' ἂν τοὺς ταῦτα εἰδότας ἄλλο ἀντί τούτων οὐδὲν προελέσθαι οὔτε τοὺς μὴ ἐπισταμένους δύνασθαι πράττειν, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἐγχειρῶσιν, ἁμαρτάνειν.
9. Xén., *Mém.*, III, IX, 4.

Omnes enim ad ea sponte ferimur, ea persequimur, ea volumus quæ bona esse credimus : τὸ μὲν βούλεσθαι (τἀγαθὰ) πᾶσιν ὑπάρχει, καὶ ταύτῃ γε οὐδὲν ὁ ἕτερος τοῦ ἑτέρου βελτίων [1]. Nunquam autem ea cupimus aut volumus, quæ mala esse credimus : οὐκ ἄρα βούλεται τὰ κακὰ οὐδείς [2]. Neminem reperias qui ex duabus rebus meliorem non anteferat, quive ex duobus malis majus eligat [3] : ἐπί τὰ κακὰ οὐδεὶς ἑκὼν ἔρχεται, οὐδὲ ἐπὶ ἃ ὄιεται κακὰ εἶναι... ὅταν τε ἀναγκασθῇ δυοῖν κακοῖν τὸ ἕτερον αἱρεῖσθαι, οὐδεῖς τὸ μεῖζον αἱρήσεται, ἐξὸν τὸ ἔλαττον. Neminem denique volentem male agere (οὐδένα ἑκόντα κακὸν εἶναι) et in multis libris docet Socrates, præcipueque in *Hippia Minore* sicut luculenter A. Fouillée interpretatus est [4]. Quæ sententia in *Protagora* etiam expromitur [5]. Quotiescumque nobis inest scientia, bene agimus : ταῦτα ἀγαθὸς ἕκαστος ἡμῶν, ἅπερ σοφός· ἃ δὲ ἀμαθής, ταῦτα δὲ κακός [6]. Neutiquam igitur ex arbitrio nostro pendet utrum recte an prave faciamus (οὐκ ἐφ' ἡμῖν ᾤετο εἶναι τὸ σπουδαίους εἶναι ἢ φαύλους [7]). Ubi in nostram potestatem venit quod melius est, pejora agere jam nequimus. Unde fit ut bene agamus quum quid bonum sit intelligamus, neque unquam nisi ignorantia peccemus : Καὶ γὰρ ὑμεῖς ὡμολογήκατ' ἐπιστήμης ἐνδείᾳ ἐξαμαρτάνειν περὶ τὴν τῶν ἡδονῶν αἵρεσιν καὶ λυπῶν τοὺς ἐξαμαρτάνοντας· ταῦτα δ'ἐστὶν ἀγαθὰ καὶ κακά [8].

1. Plato, *Meno*, 78 *b*.
2. Plato, *Meno*, 78 *a*.
3. Plato, *Protag.*, 358 *c*.
4. V. A. Fouillée, *Platonis Hippias Minor*. — Cf. Incerti auctoris *Clitopho.*, 407 *d*, *e*. *De justo dialogus*, 374 *a*, 375 *b* sq. ἄκοντες ἄρα ἀδικοῦσι καὶ ἄδικοί εἰσι καὶ πονηροί. — Plato, *Leg.*, V, 731 *c*. Πᾶς ὁ ἄδικος οὐχ ἑκων ἄδικος. *Gorg.*, 509 *e*. *Hipp. maj.*, 296 *e*.
5. Plato, *Protag.*, 345 *d*, *e*. ἐγὼ γαρ σχεδόν τι οἶμαι τοῦτο, ὅτι οὐδεὶς τῶν σοφῶν ἀνδρῶν ἡγεῖται οὐδένα ἀνθρώπων ἑκόντα ἐξαμαρτάνειν, οὐδ' αἰσχρά τε καὶ κακὰ ἑκόντ' ἐργάζεσθαι, ἀλλ' εὖ ἴσασιν, ὅτι πάντες οἱ τὰ αἰσχρὰ καὶ κακὰ ποιοῦντες ἄκοντες ποιοῦσι.
6. Plato, *Laches.*, 194 *d*. Cf. *Euthyd.*, 280 *a*. *Alcib.*, I, 125 *a*. Οὐκοῦν ὅ ἕκαστος φρόνιμος, τοῦτο ἀγαθός; — ναί. — ὃ δὲ ἄφρων πονηρός; — πῶς γὰρ οὔ; — Xénoph., *Mém.*, IV, VI, 6, 7.
7. Arist., *Magn. Mor.*, I, IX, 1187 *a*, 5.
8. *Protag.*, 357 *d*. — Cf. Xen., *Mem.*, III, IX, 4. Νομίζω οὖν τοὺς μὴ ὀρθῶς πραττόντας οὔτε σοφοὺς οὔτε σώφρονας εἶναι. — Cf. *Alcib.*, I, 117 *d*.

Nihil aliud est bene agere nisi quid bonum sit cognoscere; ea scientiæ vis est ut nulla alia re ad bene vivendum opus sit, neque alium nobis finem proponere debemus, nisi ut scientiam adipiscamur : ᾤετο εἶναι τέλος τὸ γιγνώσκειν τὴν ἀρετήν [1]. Eæ autem quæ hominem meliorem præbere nequeunt et in pravum usum deflecti possunt, scientiarum, imo artium nomine minime dignæ sunt [2].

Nihil prætermisit Socrates ut opinionem suam quam distinctissime aperiret; neque quam late pateret, quid ex ea sequeretur, quantumque a communi opinione dissideret ignoravit; quumque eum haudquaquam fugeret quid adversus talem disciplinam objici posset, cur in ea perseveraret exposuit. Dictitant enim plerique hominum eorumque etiam qui multum in philosophia versati sunt necessariam esse ad colendam virtutem boni intelligentiam; multum pretii hominibus conferre scientiam confitentur, meliorem esse eum cujus mens attentius exculta sit; multas culpas, multa vitia ex ignorantia originem capere : sed alia esse contendunt quæ plus etiam ponderis habeant. Nam vulgo creditur esse quum ille etiam qui boni scientiam habeat voluptatis illecebris vincatur libidinibusque rapiatur [3] : δοκεῖ δὲ τοῖς πολλοῖς περὶ ἐπιστήμης τοιοῦτόν τι, οὐκ ἰσχυρόν οὐδ' ἡγεμονικόν, οὐδ' ἀρχικὸν εἶναι οὐδὲ ὡς περὶ τοιούτου αὐτοῦ ὄντος διανοοῦνται, ἀλλὰ πολλάκις ἐνούσης ἀνθρώπῳ ἐπιστήμης οὐ τὴν ἐπιστήμην αὐτοῦ ἄρχειν, ἀλλ' ἄλλο τι, τότε μὲν θυμόν, τότε δ' ἡδονήν, τότε δὲ λύπην, ἐνίοτε δ' ἔρωτα, πολλάκις δὲ φόβον, ἀτεχνῶς διανοούμενοι περὶ τῆς επιστήμης, ὥσπερ περὶ ἀνδραπόδου, περιελκομένης ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων [4]. Quæ vulgi opinio a vero longissime abesse Socrati

1. Arist., *Eth. Eud.*, I, v, 1216 *b*, 2.
2. Plato, *Phædr.*, 260 *e*. *Gorg.*, 463 *b*, 465 *a*.
3. *Protag.*, 352 *b*.
4. *Protag.*, 352 *d*. Οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἐμοί τε καὶ σοὶ ου πείθονται, ἀλλὰ πολλούς φασι γιγνώσκοντας τὰ βέλτιστα, οὐκ ἐθέλειν πράττειν, ἐξὸν αὐτοῖς, ἀλλ' ἄλλα πράττειν.... 355 *c*. θέμενοι δὲ οὕτω λέγωμεν ὅτι γιγνώσκων ἄνθρωπος τὰ κακὰ ὅτι κακὰ ἐστιν ὅμως ταῦτα ποιεῖ.

videtur. Quem ceteri credunt libidines continere non potuisse, quamvis quid bonum esset compertum haberet, non magis virtute quam scientia carere credebat (οὐδὲν μᾶλλον ἢ ἀσόφους τε καὶ ἀκρατεῖς [1]). Neminem ita sui impotentem esse dicebat ut ea admitteret quæ mala esse persuasum haberet : Σωκράτης μὲν ὁ πρεσβύτης ἀνῄρει ὅλως καὶ οὐκ ἔφη ἀκρασίαν εἶναι, λέγων ὅτι οὐθεὶς εἰδὼς τὰ κακὰ ὅτι κακὰ εἰσιν ἕλοιτ' ἄν· ὁ δὲ ἀκρατὴς δοκεῖ, εἰδὼς ὅτι φαῦλά εἰσιν, αἱρεῖσθαι ὅμως, ἀγόμενος ὑπὸ τοῦ πάθους [2]. Hoc enim ante omnia scientia efficit ut non solum non nos vincere sed ne nasci quidem libido possit [3] : Καὶ ἔοικεν ὃ ἐζήτει Σωκράτης συμβαίνειν. οὐ γὰρ τῆς κυρίως ἐπιστήμης εἶναι δοκούσης παρούσης γίνεται τὸ πάθος, οὐδ' αὕτη περιέλκεται διὰ τὸ πάθος. Nihil his verbis illustrius : « Ergone et tu tale quid de ea sentis, an pulchrum quiddam scientiam esse et tale quod homini dominetur, atque si quis bona et mala noverit, nunquam alia re superari atque induci eum posse, ut aliud quam quod scientia jusserit suscipiat agendum, sed prudentiam satis esse idoneam, quæ homini sit præsto? — Videtur esse mihi, inquit, ut dicis, o Socrates, estque simul, si cuiquam hominum, turpe mihi negare sapientiam scientiamque omnium rerum humanarum esse potentissimam [4]. »

1. Xén., *Mém.*, III, IX, 4.
2. Arist., *Magn. Mor.*, II, VI, 1200 *b*, 25. Cf. *Eth. Nic.*, VII, III, 1145 *b*, 19.
3. Arist., *Eth. Nic.*, VII, IV, 1147 *b*, 15.
4. *Protag.*, 352 *c*, *d*.

CAPUT III

QUID ADVERSUS SOCRATIS OPINIONEM OBJICI SOLEAT

I. Num ea unquam volentes faciamus quæ mala esse sciamus. — II. Num adversus mentis nostræ judicia animi sensus decertare possint. — III. Num mala invitus, rapiente libidine, facere queat, qui bonum cognoverit. — IV. Eam voluntati nostræ naturam inesse ut ad bona perficienda sponte feratur, ubi se in libertatem vindicare potuerit

Aptissime inter se omnes illius Socraticæ doctrinæ partes cohærent, omnes ex uno et communi principio trahuntur ; perpaucis tamen eam probatam atque acceptam fuisse cernimus. Non enim philosopho nostro solum adversatur vulgi judicium, quod parvi facere liceat, sed illius mentem reprehenderunt fere omnes qui de morali scientia scripserunt.

Ipse enim jam Plato a magistro suo dissentit atque hoc nonnunquam fieri fatetur ut eam rem quis aversetur quam bonam et pulchram et amore dignam judicet, illam contra prosequatur et amplectatur quam pravam injustamque esse cognoscat [1]. Quis vero *Phædri* fabulam memoria non tenet ubi animæ naturam sub imagine currus depingit quem duo rapiunt equi? ex qua quid intelligere debemus nisi talem sæpe libidi-

1. Plato, *Leges*, III.

nibus vim sævitiamque inesse ut rationem ipsam vincere transversamque agere valeant?

Ab Aristotele autem præsertim impugnata est ea, quam proposuimus, doctrina; qui de singulis particulatim sententiis etiam atque etiam disputavit. Ab Aristotele assumpta sunt quæcumque adversus Socratem nostra etiam ætate objiciuntur argumenta. Quæ quam vana ac levia sint operæ pretium erit ostendere.

I. Aristoteli ante omnia videtur discrepare Socratis doctrina cum illis rebus quas quotidie et manifesto evenire cernamus : « Hæc oratio, inquit, ea in controversiam vocat quæ sunt perspicua et omnibus apparent [1]... Alienum ergo sit, hac ratione persuasos, quod factum est persuabiliter extinguere. Incontinentes siquidem sunt homines et iidem mala esse scientes verumtamen ea perpetrant... Incontinens quidem sciens res esse malas agit eas tamen, perturbatione animi concitatus... Nonnulli videntur melius quidem opinari, verum animi vitio corrupti ea quæ oportet nec sequi, nec sumere... sunt qui scientes eas res agant ex quibus injusti evasuri sint ideoque sponte sua injusti efficiantur. »

Neminem fere reperias qui Aristotelicæ sententiæ non assentiatur quique hos P. Ovidii versus non laudet :

> Video meliora, proboque :
> Deteriora sequor [2].

1. Arist., *Eth. Nic.*, VII, II (III), 1145 *b*, 19. Οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος ἀμφισβητεῖ τοῖς φαινομένοις ἐναργῶς.... *Ethic. Nic.*, VII, I, 1145 *b*. ὁ μὲν ἀκρατὴς εἰδὼς ὅτι φαῦλα πράττει διὰ πάθος. — *Magn. Mor.*, II, VI, 1200 *b*, 25 sq. ὁ δὲ ἀκρατὴς δοκεῖ, εἰδὼς ὅτι φαῦλά εἰσιν, αἱρεῖσθαι ὅμως, ἀγόμενος ὑπὸ τοῦ πάθους.... Ἄτοπον γὰρ τῷ λόγῳ τούτῳ πεισθέντας ἀναιρεῖν τὸ πιθανῶς γιγνόμενον: ἀκρατεῖς γὰρ εἰσιν ἄνθρωποι, καὶ αὐτοὶ εἰδότες ὅτι φαῦλά εἰσιν, ὅμως ταῦτα πράττουσι.... — *Ethic. Nic.*, III, II, 1112 *a*. Ἀλλ' ἔνιοι δοξάζειν (δοκοῦσιν) μὲν ἄμεινον, διὰ κακίαν δ' αἱρεῖσθαι οὐχ ἃ δεῖ. — III, V, 1113 *b*. Εἰ δὲ μὴ ἀγνοῶν τις πράττει ἐξ ὧν εσται ἄδικος, ἑκὼν ἄδικος ἂν εἴη.
2. P. Ovidius Naso, *Metamorph.*, VII, 20, 21.

Verissima nihilominus docuisse Socrates nobis videtur. Etenim quantamvis utilitatem nobis conferat in considerandis rebus illa resolutionis methodus, quam Græco nomine ἀνάλυσιν vocamus, cavendum est ne per hanc in falsum de animi nostri natura judicium adducamur. Quum multa et diversissima continuo in nobis phænomena exoriantur, necesse est singula seorsum speculemur; ea tamen separatim gigni minime credendum est. Neque enim plures in nobis animæ sunt, ut quas Plato νοῦν, et θυμόν, et ἐπιθυμίαν vocabat, neque plures animæ partes, ut Aristoteli placet, qui τὸ διανοητικὸν et τὸ ὀρεκτικὸν, τὸ ἦθος et τὸ πάθος discernit. Falluntur etiam qui docent duobus momentorum generibus, quæ gallice « mobiles et motifs » dicunt, id est nunc judiciis, nunc sensibus, impelli voluntatem nostram. Unus simplexque nobis inest animus, intelligentiæ sensusque simul præditus [1]. Quapropter quotiescumque mente quidquam comprehendimus, aut voluptatis aut doloris aliquid percipimus; quoties autem sensu quodam afficimur, quod sentimus cognoscimus, quaque causa moveamur conjectamus : neque nullo affectu moveri possumus, dum cogitamus, neque nihil animo concipere dum sentimus.

Ceterum omnis affectus, omne studium, ut ostendit Bossuetius [2], ex amore alicujus rei oritur, vel potius ad amorem recidit. Ea porro amoris natura est ut illum in nobis progignant omnia quæ bona esse cognoverimus. Erravisse nobis videtur Spinoza quum scripsit : « Rem non ideo cupimus quia bona est, sed bona est quia eam cupimus [3]. » Multo magis in

1. Descartes, *Lettre à M. X**** (Lettre CX du t. I). Vouloir, entendre imaginer, sentir, etc., ne sont que des diverses façons de penser, qui appartiennent toutes à l'âme.

2. Bossuet, *Conn. de Dieu et de soi-même*, ch. I, VI. Nos autres passions se rapportent au seul amour, et il les renferme ou les excite toutes.

3. Spinoza, *Ethic.*, pars III, XXIX. scholia. Ce n'est pas parce qu'une chose est bonne que nous la désirons, c'est parce que nous la désirons qu'elle est bonne (trad. E. Saisset).

hoc nobis placet Aristotelis opinio : « Expetimus magis quia pulchrum videtur, quam pulchrum videtur quia expetimus [1]. » Ubi enim cuidam rei aliquid boni inesse animadvertimus, eam non diligere nequimus ; neque alia causa est cur hæc vel illa amemus, quam quod bona esse ea credimus : diversas tandem res pluris minorisve facimus prout boni plus minus habere putantur [2]. Nonnullos procul dubio homines sæpe amamus, quos multis vitiis contaminari non ignoramus sed pluribus illos virtutibus ornari persuasum habemus. Nullo pacto fieri potest ut aliud melius esse judicemus, aliud magis diligamus, neque aliud unquam appetimus quam quod optimum judicamus. Ex eo ipso judicio quo bonam esse rem cognoscimus et pronuntiamus, amor oritur ; ubi bonam esse hanc agendi rationem judicamus, ad eam ineundam summa vi inclinamur et impellimur [3], neque aliud est quod nos majoribus illecebris trahere possit.

Fateor equidem quid sibi velint hæc verba « male agere velle » mihi in mentem venire non posse. Non ea enim voluntati nostræ natura est ut sine causa atque incitamento consilium capere queat. Inter contrarias agendi rationes medium atque securum arbitrium humano ingenio concipi non potest. Quoties contra hoc vel illud agere nobis occurrit ad suadendum dissuadendumque multa ac varia consurgunt studia.

1. Arist., *Métaph.*, XII, VII, 1072 *a*, 29. ὀρεγόμεθα δὲ δίοτι καλὸν δοκεῖ μαλλον ἢ δοκεῖ δίοτι ὀρεγόμεθα.

2. Spinoza, *De Deo, Homine et Beatitudine* (trad. P. Janet), pars III, cap. IV. L'amour naît donc de la représentation et de la connaissance que nous avons d'un objet; et plus l'objet se montre grand et imposant, plus l'amour est grand et imposant en nous. — Cap. V. Nous pouvons nous affranchir de l'amour de deux manières : ou bien par la connaissance d'une chose meilleure, ou bien par l'expérience qui nous apprend que l'objet aimé que nous avons pris pour quelque chose de grand et de magnifique nous apporte beaucoup de douleur, de peine et de dommage.

3. Plato, *Gorg.*, 499 *e*. ἕνεκα γὰρ που τῶν ἀγαθῶν ἅπανθ' ἡμῖν ἔδοξε πρακτέον εἶναι.... τέλος εἶναι ἁπασῶν τῶν πραξεών τἀγαθὸν, κἀκείνου ἕνεκεν δεῖν πάντα τἆλλα πράττεσθαι ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνο τῶν ἄλλων.

Quod quum ita sit, malas res agere velle nequimus, nisi ea amare, ea appetere possumus, quæ mala esse scimus : ea vero ipsa verba inter se abhorrere quis non perspicit? Ubi ergo malam esse rem aut cognovimus aut statuimus, nullo pacto eam aut diligere, aut cupere, aut perficere valemus.

Ceterum statim ut illam mali notionem excutere et penitus introspicere conamur, nequaquam eam definiri et describi, id est distincte percipi posse intelligimus. Nihil nobis cogitatione fingere possumus quod prorsus atque absolute malum sit [1]; neque mali quidquam nisi per alicujus boni comparationem oppositionemque concipimus. Malam hanc agendi rationem esse pronunciamus quoties alia melior est quam eligere in nobis fuerit; nullum vero facinus est quod omnino atque perfecte pravum sit, ex quo nihil unquam neque boni, neque voluptatis, neque utilitatis exoriri queat, quod nulla ratione bonum vocari nullique ideo studio ortum præbere possit [2]. Quoties male agimus ea meliora esse judicamus, quæ revera pejora sunt, quæque pejora esse posterius, ubi ad saniorem mentem revertemur, agnoscemus [3]; inter opinionem nostram et rerum veritatem discordia est, quapropter errore deci-

1. Spinoza, *De la réforme de l'entendement* (trad. E. Saisset). Il faut remarquer que le bien et le mal ne se disent que d'une façon relative, en sorte qu'un seul et même objet peut être appelé bon ou mauvais, selon qu'on le considère sous tel ou tel rapport; et de même pour la perfection et l'imperfection. Nulle chose considérée en elle-même ne peut être dite parfaite ou imparfaite...

2. Bossuet, *Traité du libre arbitre*, ch. XI. Le plaisir que nous recherchons et qui nous fait faire tant de mal est bon de soi, et il est donné à la créature pour un bon usage. Ne vouloir manquer de rien, ne vouloir avoir aucun mal, ni rien par conséquent qui nous nuise, tout cela est bon visiblement et fait partie de la félicité pour laquelle nous sommes nés; mais ce bien recherché mal à propos est la cause qui nous pousse à la vengeance et à mille autres excès. Si l'on maltraite un homme, si on le tue, cette action peut être commandée par la justice et par conséquent peut être bonne. Commander est bon, être riche est bon; et ces bonnes choses, mal prises et mal désirées, font néanmoins tout le mal du monde.

3. Plato, *Meno*, 77 *d* — 78 *b*.

pimur. Multis sæpe viris accidit ut ea quæ ethicos mala (ἠθικῶς φαῦλα) sint et mala esse sciant conficiant: sed minus mali prius in scelere quam in voluptatis, aut divitiarum, aut vitæ jactura inesse crediderunt, neque rectum de boni natura judicium tulerunt.

Hanc Socratis sententiam maxime reprehendit Aristoteles, non in nobis situm esse ut boni malive exsistamus [1], οὐκ ἐφ' ἡμῖν γίγνεσθαι τὸ σπουδαιοὺς εἶναι ἢ φαύλους; quum contra, si ei fidem adhibeamus, ex arbitrio nostro pendeat utrum bene an male agamus. Quomodo, inquit, bona nos sponte ac voluntate nostra exsequi contenditis, dum mala quoque nos sponte ac voluntate nostra eligere posse non confitemini? Responsum ab Malebranchio mutuabimur [2] : ea est voluntas nostra quæ naturali nos impulsu ad bonum ferat. Nullo modo fieri potest ut ea quæ mala sint velimus, nisi ex hoc ipso amore quo erga bonum incendimur, dum malum pro bono habemus [3]. Voluntas, ut docebant Scholastici, non fertur in malum, nisi quatemus ei sub aliqua ratione boni repræsentatur ab intellectu [4]. Quemadmodum enim in universa rerum natura, ita semper in nobis

1. Arist., *Magn. Mor.*, I, IX, 1187 *a*, 5.

2. Malebranche. La volonté est le mouvement naturel qui nous porte vers le bien en général.

3. Leibnitz, *Théodicée*. Il est impossible que l'on veuille le mal en tant que mal; on ne le veut que parce qu'on le prend pour un bien : la volonté par nature ne va qu'au bien. Seule la volonté divine va infailliblement au plus grand bien, parce que seul l'entendement divin voit infailliblement le meilleur; mais l'homme, même quand il est le plus coupable, ne fait le mal que par erreur. — *Nouveaux Essais*, p. 140. On ne saurait vouloir que ce qu'on trouve bon; et, selon que la faculté d'entendre est avancée, le choix de la volonté est meilleur... Si nous préférons le pire, c'est que nous sentons le bien qu'il renferme, sans sentir ni le mal qu'il y a, ni le bien qui est dans la part contraire... La prévalence des biens aperçus incline sans nécessiter, quoique, tout considéré, cette inclination soit déterminante et ne manque jamais de produire son effet.

4. Bossuet, *Conn. de Dieu*, ch. I, § 18. Vouloir est une action par laquelle nous poursuivons le bien et fuyons le mal et choisissons les moyens pour parvenir à l'un et éviter l'autre.

deficientem tantummodo causam, ut Leibnitzii verba usurpemus, malum habet, nunquam vero efficientem [1].

Nulla major in ethica scientia disputatio instituitur, nulla difficilior majorisque cautionis : quippe de nostræ voluntatis natura agitur. Multi de humana libertate ita pronunciant ut si utraque contraria pariter perficere queamus. Quod in potestatem nostram nunquam venire persuasum habemus. Non enim velle nobis conceditur nisi quod bonum est, imo quod optimum esse judicamus [2]. Interdum quidem, ut ait Cartesius, evenit ut, quum nobis duo longe disparis pretii facinora in mentem venerint, ad pejus exsequendum animum inducamus; tum vero hæc causa intercessit quod multo optimum fore æstimavimus si voluntatis nostræ vim ac potestatem manifestam fecerimus [3]. Nulli unquam rei, nisi majori bono, ut in doctissimo suo de Libertate libro A. Fouillée approbavit, quidquam boni posthabemus.

Quod quum ita sit non bene agere non possumus quotiescumque bene judicare nobis datur. Si quis enim quid vere bonum sit intelligit eum ad bene agendum non necessitas, sed naturæ ipsius potestas impellit [4].

1. Bossuet, *Traité du libre arbitre*, ch. XI. Ainsi tout le mal qui est dans les créatures a son fond dans quelque bien. Le mal ne vient donc pas de ce qui est, mais de ce qui n'est ni ordonné comme il faut, ni rapporté où il faut, ni aimé ou estimé où il doit être... Telle est la cause du péché, si toutefois le péché peut avoir une véritable cause. Mais, pour parler plus proprement, comme le néant n'en a point, le péché, qui est un défaut et une espèce de néant, n'en a point aussi.

2. Vide suprà ad pag. 32, notam 2.

3. Descartes, *Lettre au P. Mersenne*. Il nous est toujours libre de nous empêcher de poursuivre un bien qui nous est clairement connu ou d'admettre une vérité évidente, pourvu seulement que nous pensions que c'est un bien de témoigner par là notre franc arbitre.

4. Descartes. L'indifférence que je sens lorsque je ne suis point emporté vers un côté plutôt que vers un autre par le poids d'aucune raison est le plus bas degré de la liberté et fait paraître plutôt un défaut dans la connaissance qu'une perfection dans la volonté, car si je connaissais toujours clairement ce qui est vrai et ce qui est bon, je ne serais jamais

Idem illud Cartesio placet [1] : « Quippe quum voluntas nostra non determinetur ad aliquid vel persequendum vel fugiendum, nisi quatenus ei ab intellectu exhibetur tanquam bonum vel malum, sufficiet si semper recte judicemus, ut recte faciamus, atque si quam optime possumus judicemus, ut quam optime possumus faciamus, hoc est ut nobis virtutes omnes simulque omnia alia bona, quæ ad nos possunt pervenire, comparemus; quisquis autem se illa sibi comparasse confidit, non potest non esse suis contentus ac beatus. » Idemque alias : « Ubi quid faciendum sit distincte cernimus, hoc, inquit, haud dubie perficimus [2]. »

II. Non totius humanæ naturæ rationem habuisse Socratem Aristoteles insimulat : inest enim nobis, inquit, quædam irrationalis pars, quam affectum et moralem indolem vocamus, qua impellente ea sæpe perficimus quæ mens nostra prava esse judicavit [3].

In illud crimen minime incurrisse Socrates nobis videtur,

en peine de délibérer quel jugement et quel choix je devrais faire, et ainsi je serais entièrement libre, sans jamais être indifférent.

1. Descartes, *Dissertatio de Methodo ex Gallico translata et ab auctore perlecta*. Pars III.

2. Descartes, *Lettre* 47. Voyant très clairement ce qu'il faut faire, on le fait infailliblement et sans aucune indifférence. Cf. *Lettre à un R. P. jésuite* (Mesland), mai 1644 : Il est, ce me semble, certain que ex magna luce in intellectu sequitur magna propensio in voluntate; en sorte que, voyant très clairement qu'une chose nous est propre, il est très malaisé et même, comme je crois, impossible, pendant qu'on demeure en cette pensée, d'arrêter le cours de notre désir... Si nous le voyons clairement (que ce que nous faisons est mauvais) il nous serait impossible de pécher pendant le temps que nous le verrions en cette sorte; c'est pourquoi on dit que omnis peccans est ignorans. — Cf. Leibnitz, *Théod*. Nous ne sommes libres que dans la mesure de notre intelligence... Il n'y a d'absolument libre que l'Intelligence suprême ou Dieu... Etre libre, c'est se résoudre en pleine connaissance de cause, pour des raisons qu'on accepte et qu'on fait siennes, c'est subordonner son activité à sa raison. Si l'on voyait toujours clair, on agirait toujours bien.

3. Arist., *Magn. Mor.*, I, I, 1182 *a*. Συμβαίνει οὖν αὐτῷ ἐπιστήμας ποιοῦντι τὰς ἀρετὰς ἀναιρεῖν τὸ ἄλογαν μέρος τῆς ψυχῆς, τοῦτο δὲ ποιῶν ἀναιρεῖ καὶ πάθος καὶ ἦθος· διὸ οὐκ ὀρθῶς ἥψατο ταύτῃ τῶν ἀρετῶν.

quippe qui humanam naturam penitus introspexerit, quique de animi affectibus sæpissime disputaverit. Sed de illorum effectu longe alia illi mens est quam Aristoteli multoque, nostra quidem sententia, verior.

Non enim nos fallit non minus momenti in nostris judiciis affectus quam in affectibus judicia habere. Summæ insunt voluptati illecebræ, neque nos continere possumus, quin illam bonam esse judicemus, eaque bona ducamus, quæcumque voluptatis aliquid afferant. Ex omni voluptate propensio oritur quæ continuo invalescit, donec in libidinem vertatur. Quo magis nos quædam res delectat, quo plus boni eam amplecti perspicimus, quo magis in considerandis illius virtutibus detinetur et gaudet noster animus, eo minus quænam vitia habeat discernere valemus. Quæ nullam delectationem ferunt, quæ nos nullo modo movent, quomodo nobis in mentem veniat ut attente consideremus? Imo omnia ex quibus doloris aliquid accepimus vehementer avertimus, neque quid boni comprehendere queant suspicamur. Unde fit ut quum, una re capti et quasi devincti, collatione nunquam utamur, quæ vere optima sint discernere nequeamus [1]. Ita nos, ut edisserit Lucretius [2], afficiunt animi motus, ut recte judicando impares fiamus : qui autem multis libidinibus inservit verum de nulla re internoscere potest [3]. Sequitur ut non minore labore opus sit ut in virtute perseveremus quam ut ad eam nos erigamus; quum

1. Descartes, *Lettre à M. Chanut*. Lorsque l'âme juge qu'un objet est digne d'elle, cela dispose incontinent le cœur aux mouvements qui excitent la passion d'amour, et, lorsque le cœur se trouve ainsi disposé par d'autres causes, cela fait que l'âme imagine des qualités aimables en des objets où elle ne verrait que des défauts en un autre temps.

2. T. Lucretius Carus, *De Rer. Nat.*, IV, 1146 sq. Cf. Molière, *Misanthr.*, acte II, sc. v, 708 sq.

3. Xén., *Mém.*, IV, v, 6. Σοφίαν δὲ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν οὐ δοκεῖ σοι ἀπείργουσα τῶν ἀνθρώπων ἡ ἀκρασία εἰς τοὐναντίον αὐτοὺς ἐμβάλλειν; — IV, v, 10, 11. Τοῖς ἐγκρατέσι μόνοις ἔξεστι σκοπεῖν τὰ κράτιστα τῶν πραγμάτων, καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ διαλέγοντας κατὰ γένη τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι. — I, v, 4. Τὴν ἐγκράτειαν ἀρετῆς κρηπῖδα.

enim novæ continuo vires libidinibus nostris subministrentur, nunquam autem debellatum sit, summo opere renitamur oportet animumque semper intendamus ne in gravissimos errores gravissimasque culpas rapiamur [1].

Nonne autem hoc sæpe evenit ut, postquam quid agendum sit diu et attente consideravimus, postquam quid optimum sit perspeximus, libidine abripiamur aliudque quod pejus esse sciamus conficiamus? Non ita res se habere arbitramur. Est enim quum de consilio capiendo non semel nobiscum deliberemus. Atqui, aliis alias de causis, certarum rerum rationem primo ducere negligimus : primum ideo judicium facimus. Tum vero, vincentibus animi affectibus, hoc subito menti nostræ occurrit quod removere nisi eramus; altera deliberatio fit, altera sententia fertur, idque tandem exsequimur quod optimum esse in summa æstimavimus.

Assidua et acerrima in nobis certamina fiunt; quæ vero qualia essent Aristoteles ignoravisse nobis videtur : « Sæpe, inquit, judicio, nunquam vero cupidini cupido adversatur [2]. « Quod procul a vero abesse demonstravimus. Repugnant sæpe inter se varii sensus, varia judicia; inter judicia sensusque nullum dissidium esse potest. Nihil ergo veri his toties commemoratis P. Ovidii versibus inest

Trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet [3].

His igitur verbis quæstio institui debet : quum hæc quidem diligamus, quæ bona esse pronunciaverimus, ea autem bona dicamus, quæ amorem nostrum moveant, ea denique perfi-

1. *Protag.*, 339 *a* — 345 *d*.
2. Arist., *Ethic. Nicom.*, III, II, 1111 *b*. Καὶ προαιρέσει μὲν ἐπιθυμία ἐναντιοῦται, ἐπιθυμία δὲ ἐπιθυμίᾳ οὔ.
3. Ovidius, *Metam*, VII, 19, 20.

ciamus quæ et bona judicemus et amemus, quomodo consequi poterimus ut ea bona judicemus, diligamus et perficiamus quæ vere bona sint? Quod ut fieret nulla re nisi scientia opus esse jure asseruisse Socratem credimus.

Etenim, ut Stoïci dicunt, nihil nisi judicandi facultas in nostra semper potestate situm est. Ex me uno pendet ut huic vel illi rei operam dem, ut eam explorem introspiciamque, ut sententiam meam pericliter, ut verum a falso discernam. Quod ubi adeptus ero, voluptas et propensio necessario consequentur ; hoc vel illud ubi bonum esse cognovero, diligam et persequar [1] ; ubi id agendo optime acturum esse me apparebit, id ut exsequar maxime inclinabit animus, idque libens perficiam.

Minime contra in manu nostra positi sunt amini nostri affectus. Gaudio afficimur, etiam quum illud subterfugere cupimus; ut vero illud gignatur, ut ea res voluptatem nobis afferat, ut nullo dolore moveamur, ut prohibeamus ne ex voluptate cupido oriatur, arbitrio nostro non permittitur. Non est quomodo pravis cupiditatibus resistamus, nisi bonas cupiditates in nobis excitemus; bona studia turpibus studiis obsistere sola possunt [2]. Mentis nostræ judicia animi affectus (ἦθος) semper prosequitur; animi autem affectibus moralis indoles (πάθος) tota continetur; nulla ergo inter rationalem moralemque humanæ animæ partem discordia oriri potest. Ubi meliora mente concipimus, pejora appetere et conficere, ubi boni scientiam adepti sumus, male agere non possumus.

III. Nemo igitur est qui mala unquam faciat volens; nonne

1. Spinoza, *De Deo, Homine et Beatitudine* (trad. P. Janet), 2a pars, cap. XIX. Pour nous délivrer de nos passions, nous n'avons qu'à faire un bon usage de notre entendement... La vraie connaissance peut seule nous rendre libres, et sans elle nous ne pouvons le devenir.

2. Xén., *Mém.*, I, VI, 8. Τοῦ δὲ μὴ δουλεύειν γαστρὶ μηδὲ ὕπνῳ μηδὲ λαγνείᾳ οἴει τι ἄλλο αἰτιώτερον εἶναι ἢ τὸ ἕτερα ἔχειν τούτων ἡδίω ;

autem ita trahi possumus ut ea inviti faciamus, quum bona cognoscamus?

Longe aliam virtutis scientiarumque conditionem esse Aristoteles contendit [1] : « Etenim qui medicinam didicit, medicus, qui astrologiam, astrologus, qui gubernandarum navium artem, gubernator est. Ille vero qui qualis sit justitia et quænam res sint justæ cognoscit, non ideo justus, qui temperantiæ notionem possidet, non temperans est. Sæpe igitur cognoscendæ virtuti frustra studemus, neque in numero scientiarum virtutes reponendæ sunt. » Non sufficit ergo scire quid sit virtus, nitendum est etiam ut eam possideamus eaque utamur [2]. Quam rem multi minus ex sententia gerunt, quos videmus sui impotentes esse et, quum boni scientiam adepti sint, transversos violenta libidine ad ea efficienda rapi quæ mala esse sciant : δοκεῖ ὁ ἀκρατὴς εἰδὼς ὅτι φαῦλα ποιεῖν ὁμοιῶς ἀγόμενος ὑπὸ τοῦ πάθους [3]. « Non enim satis est, ut ait Cicero, judicare quid faciendum non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo quod sit judicatum. Plerique autem... victi et debilitati, objecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos [4]. » Eadem est Spinozæ sententia : « Eam cupiditatem quam vera boni malique scientia gignit exstinguere et præpedire possunt multæ aliæ cupiditates quæ ex variis animi affectibus oriuntur [5]. » Illis assentiuntur plerique scriptores

1. Arist., *Magn. Mor.*, I, I, 1183 *b*, 10. Διὰ τί; ὅτι ἐπὶ τῶν ἐπιστήμων συμβάινει ἅμα εἰδέναι τὴν ἐπιστήμην τί ἐστι καὶ εἶναι ἐπιστήμονα·... ἀλλ' οὐχ ἐπὶ τῶν ἀρετῶν τοῦτο συμβάινει· οὐ γὰρ εἴ τις οἶδε τὴν δικαιοσυνην τί ἐστιν, εὐθέως δίκαιός ἐστιν, ὡς δ' αὔτως κἀπὶ τῶν ἀλλῶν. Συμβαίνει οὖν καὶ μάτην τὰς ἀρετὰς εἶναι καὶ μὴ εἶναι ἐπιστήμας. — Cf. *Eth. Eud.*, I, v, 1216 *b*. Cf. *Magn. Mor.*, I, XXI, 1190 *b*, 28.

2. Arist., *Eth. Nic.*, X, IX, 2, 3. Οὐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἵκανον τὸ εἰδέναι ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον....

3. Arist., *Magn. Mor.*, II, VI, 1200 *b*. *Eth. Nic.*, VII, I, 1145 *b*.

4. Cicero, *De Finibus*, I, XIV, 47.

5. Spinoza, *Ethique*, 4e partie, prop. XV. Le désir qui naît de la connaissance vraie du bien et du mal peut être détruit ou empêché par

multaque exempla afferunt hominum quos cupiditatum vi proreptos male egisse dicunt, quum quæ bona quæ mala sint eos non ignoravisse appareat [1]. Solam rationem dignam esse omnes fatentur quæ in nobis regnet, sed parum efficacem eam esse censent neque libidinum impetum continere semper posse.

Nunquam contra tali calamitate affici hominem Socrates asserebat, neque eam esse veræ scientiæ naturam ut ulla re vinci posset : ἀνῄρει ὅλως καὶ οὐκ ἔφη ἀκρασίαν εἶναι. Multis procul dubio viribus opus est ut animi nostri affectibus resistere valeamus, ut pravas cupiditates cohibere et devincere queamus; illas autem vires ipsa per se boni scientia confert et continet : ea enim est boni scientia ut potentissimum in nobis affectum gignat quem nullæ superare cupidates possint : neque unquam accidere potest ut vir sapiens veraque disciplina ornatus ad mala perficienda invitus rapiatur.

Non ita res se habere parum attentus contemplator existimat : fieri enim posse videtur, postquam toto animo cogitavimus, quidque bonum quid malum sit dignovimus, ut expergiscatur subito quædam diu sopita libido; et quoniam, ut supra demonstravimus, nullum inter sensus judiciaque dissidium esse potest, ad ea meliora judicanda nos necessario adducat quæ prava esse nos minime fugiat.

Nunquam contra talem esse nostram conditionem persuasum habemus. Verum ante omnia quid his verbis « quid bonum sit scire » intelligi debeat explicandum est. Etenim nonnunquam ea scire videmur, imo etiam ipsi putamus quorum revera plane rudes sumus. Sunt qui physicen scire se arbitrentur, quod aliquos de rerum natura libros perlegerunt, ad verbum edidi-

beaucoup d'autres idées qui naissent des passions dont notre âme est agitée en sens divers.

1. V. Dr Le Bon, *De l'étude du caractère* (*Revue philosophique*, nov. 1877).

cerunt et memoriter pronunciare possunt; quum vero doctrinæ significationem perspicere, ratiocinationis vim intelligere nequeant, cur veræ sint leges quas pro veris accipiant ignorent, earum nullam rationem reddere, eas nullo argumento defendere valeant, in physicis haudquaquam docti sunt et in gravissimos sæpe errores levissimis causis trahuntur. Quod et de morali scientia verius etiam dici potest. Quid bonum sit optime nos scire persuasum habemus, ubi quædam memoria tenemus præcepta quibus prima ab infantia imbuti sumus quæve ex libris excerpsimus, aut ubi præclaras sapientium virorum sententias in lingua habemus quibus orationes sermonesque nostros decoramus; illa vero splendida effata dum referimus, aliis plerumque cogitationibus occupatur et detinetur mens nostra; tum ergo, psittacorum more, ut ait Leibnitzius, verba recinimus quibus nullam significationem conjungimus [1]. Quid mirum si meliora etiam nobis contraria postmodum videri possunt? Qui in illa mentis conditione versantur, eos procul dubio multa ut male agant continuo impellunt : eos vero quid bonum sit scire neutiquam confitebimur.

Nonne autem hoc vel doctissimo prudentissimoque viro accidere potest ut sævæ vehementesque in eo exoriantur cupiditates in quibus reprimendis parum proficiat? Minime : qui

1. Leibnitz, *Nouveaux Essais*, p. 140. Nous supposons et croyons, ou plutôt nous récitons seulement, sur la foi d'autrui ou tout au plus sur celle de la mémoire de nos raisonnements passés, que le plus grand bien est dans le meilleur parti (la vertu) ou le plus grand mal dans l'autre. — La source du peu d'application aux vrais biens vient de ce que dans ce cas la plupart de nos pensées sont sourdes, vides de perception et de sentiment et consistent dans l'emploi tout nu des caractères; et les mots font le même effet en cela que les caractères d'arithmétique ou d'algèbre : on raisonne souvent en paroles sans avoir l'objet dans l'esprit. C'est ainsi que les hommes le plus souvent pensent à Dieu, à la vertu, à la félicité; ils parlent et raisonnent sans idées expresses... Ainsi, si nous préférons le pire, c'est que nous sentons le bien qu'il renferme, sans sentir ni le mal présent, ni le bien qui est dans le parti contraire... C'est pur *psittacisme*. (Cité par P. Janet, *La Morale*, liv. III, ch. VI, p. 480.)

enim recti cognitionem possidet, res certo judicio ponderat, eas vera æstimatione perpendit, quanti quæque facienda sit cognoscit, quid in quaque boni malive insit invenit, pejora a melioribus dijudicat. Quemadmodum igitur, ut ante dictum est, omnem cupidinem judicium consequitur quo bonum esse quod appetimus pronunciamus, ea vero meliora judicamus ad quæ valentiore impetu ferimur, sic ex omni judicio affectus exsistit, neque ullo modo ea amare possumus quæ mala esse cognovimus, nedum ratione potentior esse libido valeat. Quando enim ex imperfecta et, ut ait Spinoza [1], *inadæquata* rerum cognitione omnes libidines nascuntur, ubi plena atque absoluta veritatis notitia fruimur, nullus jam inadaquætis ideis, nullus libidinibus est locus.

Nempe una atque eadem est, ut sæpenumero asserit Plato, duorum contrariorum scientia; qui igitur boni scientiam habent, iidem quæ mala sint pervident; quando igitur nullus mali amor esse potest, nulla prava cupiditate incenduntur. Mentem nostram alienare quidem et obcæcare libido valet, ita ut falsa de æstimandis rebus actionibusque judicia feramus, nullo autem modo nos ad male agendum rapere potest, quandiu recte judicamus. Non ergo ea est boni scientia quæ cum studiis nostris certamen instituat, hac lege ut ipsa vinci possit, sed cui nullus unquam adversarius obstet : nam ne nascatur quidem cupiditas præpedit ac prohibet [2]. Quod si qui ante affectus in nobis nati sunt atque imperium occupaverunt quam boni scientiam adipisceremur, quum ea nobis errorem nostrum eripiat, quantulique momenti sit quod dilexerimus patefaciat, non modo ne amplius crescant invalescantque obsistit sed eos funditus supprimit atque e medio tollit.

1. Spinoza, *Ethic.*, pars III, prop. 3. Cf. *Dieu, l'Homme et la Béatitude*, 2ᵉ partie, ch. IV.
2. Leibnitz, *Nouv. Essais*, p. 140.

Quanta constantia inimicorum suorum minas subierit Socrates, neque se a proposito suo deterreri passus, et idem semper se acturum pollicitus, quamdiu vita suppeteret [1], multi mirati sunt. Illius vero firmitatis causa manifesta est : recte agere se sciebat, hoc sibi munus a diis impositum esse ratus [2] ut Athenienses meliores redderet. Omnes autem sciunt quantis virtutibus, quam præsertim eximia fortitudine illi inter christianos claruerint, quibus fides inesset, id est qui veram doctrinam didicissent et intellexissent : nihil ille non audet cui aliquid pro certo est et in mente hæret.

IV. Ceterum minime iners et passibilis est nostra voluntas, neque quæ extrinsecus moveri desideret, externos impulsus accipiat et sequatur, ita ut nihil nisi utram utri partem anteponere placeat decernere possit. Quemadmodum enim est sua cuique generi plantarum animaliumque lex natura insita ex qua adolescit suumque incrementum sponte capit, nisi quid ei obstat atque impedimento est, ita naturalis ultroneaque animæ nostræ vis inest qua ad ea quæ ex natura et conditione nostra necessario ac dialectice manant vehementissime fertur : ea vero maxime bona esse demonstravimus. Quam quamdiu ducem sequimur, nostri juris, aliena auctoritate soluti, liberi atque αὐτόνομοι, ut ait Kantius, sumus [3]. Simul, ut mente et ratione præditi sumus, quid agamus cognoscimus, sapienter et bene nos facere intelligimus ; illi igitur interiori legi libenter nosmet subjicimus, liquidaque lætitia perfundimur. Quum vero magnam voluptatem ex quibusdam rebus percipiamus, quæ sensus nostros percellant, eo adducimur ut bonas eas esse credamus easque appetamus. Quædam ergo in nobis nascuntur

1. Plato, *Apol.*, 29 *d*.
2. Plato, *Apol.*, 28 *e*, 31 *c*, *d*, 33 *c*. — Grote, *Hist. gr.*, t. XII, ch. IV p. 250 (trad. française). — Ritter, *Hist. de la phil.*, liv. VII, ch. II.
3. Cf. Leibnitz, *Théodicée*.

cupiditates quæ celeriter invalescunt majusque in dies imperium usurpant : illis vero quoties morem gerimus, extranea vi abstrahimur et proripimur, tyranni legem patimur, alieni juris, ἑτερόνομοι sumus : tunc igitur male agimus dum bene facere nos arbitramur. Liberi quum bene agimus, servi ubi male, sumus[1] ; neque alia culpæ nostræ causa est, nisi error ; nam quamdiu recte judicamus, recte facimus. Multum abest ut semper libere agamus ; sed quum liberi semper esse possimus, libere ac voluntario nos servos esse dicimus. Unde fit ut eos puniendos esse censeamus qui aliquo sese maleficio contaminaverunt ; verum eos bona ignoravisse rati et variis erroribus deceptos inique egisse, ea mente in eos animadvertimus ut oculos tandem aperiant, animum intendant, ad veritatem reducantur : ἀποτροπῆς ἕνεκα κολάζομεν. Sed quum quid ipsi faciant nesciant minore ira quam miseratione digni sunt[2].

Hic demum virtutem colit qui libera sua voluntate fruitur, hic demum liber est, qui quid bonum sit mente capit. Nunquam nos ad male agendum libidines trahant, nisi nos fallant atque decipiant : voluntatem contra servitute eximit intellectus. Sola igitur boni scientia opus est ut libere agamus bonumque perficiamus[3].

1. Xenopho, *Memor.*, IV, v, 3. ἴσως γὰρ ἐλεύθερον φαίνεταί σοι τὸ πράττειν τὰ βέλτιστα.

2. *Protag.*, 324 *a, b.* — Cf. Seneca, *De Ira*, 1, 16. Nam, ut Plato ait, nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne peccetur : revocari enim præterita non possunt : futura prohibentur. — Leibnitz, *Théod.* Il ne faut pas moins punir ceux qui font le mal, ne fût-ce que pour leur ouvrir les yeux.

3. Spinoza, *Ethiq.*, 2e partie, prop. XLVIII, Corollaire. La volonté et l'entendement sont une seule et même chose. — *Dieu, l'Homme et la Béatitude*, 2e partie, ch. XIX. Pour nous délivrer de nos passions, nous n'avons qu'à faire un bon usage de notre entendement... La vraie connaissance seule peut nous rendre libres, et sans elle nous ne pouvons le devenir.

CAPUT IV

DE BONI SCIENTIA

I. Scientiam Socrates nihil aliud vocat nisi recti exercitatique ingenii acumen. — II. Unde fiat ut nulli talis scientiæ magistri exsistant. — III. Falsa nos de bono maloque judicia nunquam ferre, ubi eam scientiam adepti simus.

Quod quum ita se habeat male agere neque libentes neque inviti possumus, ubi quid bonum sit intelligimus; nunquam igitur male agemus, virtutem semper colemus si quid bonum sit semper cognoscemus, id est si boni scientia semper instruemur. Quânam vero ex re constet ea scientia, quam tanti facere debeamus, minime significare Socrates videtur [1].

Multos etiam ex ejus æqualibus ita judicavisse indicio est incerti auctoris *Clitopho* ubi illud inter alia Socrati exprobratur. Neque desunt inter recentiores commentatores qui in eamdem sententiam veniant [2]. Alii, inter quos A. Fouillée numerandus est, de Summi Boni scientia hoc intelligendum esse autumant,

1. *Protag.*, 357 *b*. ἥτις μὲν τοίνυν τέχνη καὶ ἐπιστήμη ἐστὶν αὕτη, εἰσαῦθις σκεψόμεθα. Quam rem nunquam attigit.
2. Zeller, p. 123 (101). Von welcher Art aber das Wissen ist, in dem die Tugend besteht, ob ein erfahrungmassiges öder ein spekulatives, ob ein rein theoretisches oder ein praktisches, diess hat Sokrates allem nach noch gar nicht gefragen.

quod nullo Socratis verbo approbari posse arbitramur, quum contra quid illius opinio ferat manifesto appareat.

I. Virtutem non unam ex scientiis, sed scientiam esse dixit. — Quemadmodum igitur in variis virtutibus inest commune aliquid, ita ut hoc illis virtutum nomen conferat, non illud per quod inter se differant, hoc vero unum virtutis nomine per se dignum sit : sic in omnibus scientiis, diversissimis licet, aliquid deprehendas quod semper unum, idem totumque sit. Quod si unicuique locum inter scientias tribuimus, id unum præstat, non illud per quod inter se discrepant, quod aliud in aliis est, quod in hac viget, in illa deficit : in eo igitur uno omnis vis scientiæ est.

Ubi itaque de scientiæ natura quæstio est, nullam aliam methodum vir ratiocinandi peritus (διαλεκτικὸς ἀνὴρ) adhibere debet, quam quum de ceteris rebus agitur : hoc autem perquiret quod in multis semper unum et idem est (τὸ ἓν ἐπὶ πολλοῖς) : quo invento, quid nomen scientiæ indicet intellexerit.

Eum mathematicum appellamus, qui de numeris ac figuris vera invenire scit et a falsis dignoscere, eum astrologum qui de sideribus annique temporibus vera reperire et a falsis discernere, eum medicum qui de morbis eorumque tum causis, tum remediis vera reperire et a falsis distinguere potest.

Ut igitur concludamus, eum scire dicimus qui verum eruere et a falso dijudicare valet, neque aliud nisi recti exercitatique ingenii acumen scientia est.

Eum nobis finem proponere debemus, id dignum est ad quod tempus studiumque nostrum impendamus, ut omnia melius intelligamus, rectiusque judicemus, non ut hoc vel illud didicerimus. Nonnulli male sibi constare Socratem scripserunt quum hinc tantum scientiæ tribueret, illinc discipulos suos a scientiarum studio deterrere conaretur : quod nobis minime mirum videtur, qui non idem valere apud eum scientiæ nomen

et apud ceteros intelligimus. Plerique hominum multum operæ consumunt ut ea aut quæ ipsi nondum aut quæ pauci admodum sciant addiscant; eo majoris se æstimant quo plura et reconditiora didicerunt; dum ea quæ tantopere quæruntur, nihil ulli unquam utilitatis contulerunt, neque ullius pensi haberi debent pro illis omnibus quæ nemo unquam nostrum cognoscere poterit; imo adeo difficilia sunt ut nos aut frustra tempus conterendi aut falsa cum veris commiscendi in discrimen adducant. Hoc vero fere omnes negligunt quod solum per se pretiosum est, ut acutiorem æquioremque animum consequantur, quum eo pluris faciendi simus quo rectius judicemus, aptius concludamus, levioribusque erroribus irretiamur[1].

Hæc Socrati valde placuissent Nicolii nostri verba[2], qui ingenii sui viribus homines uti dicit ut multas scientias adipiscantur, quum contra eam demum ex scientiis utilitatem quærere debeant, ut ingenii sui vires augeant. Neque minus ab eo probatus fuisset Malebranchius[3] cujus judicio non ideo nati sunt homines ut inter physicos astrologosve locum obtineant, sed ut prudentes bonique vivant.

Eamdem ipsam doctrinam in *Philebo*[4] Socrates suadet, ubi nullum majus homini bonum esse, nullum magis expetendum, quam res metiendi æstimandique artem demonstrat. Quæ perfecta et absoluta rationis judiciique solertia quanquam in captum nostrum venire non potest, summis tamen viribus eniti debemus ut ad eam quam proxime accedamus.

II. Ea præterea causa est cur non similis sit hujus veræ

1. *Protag.*, 309 *c*. Πῶς δ'οὐ μέλλει τὸ σοφώτατον κάλλιον φαίνεσθαι; Cf. Heraclitum, Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Most learning does not teach reason (Grote's *Plato*, t. I, ch. x, p. 631).

2. *Logique* de Port-Royal, 1er discours.

3. Malebranche, *Recherche de la vérité*, Préface.

4. Plato, *Phileb.*, 66 *a*. Πρῶτον μὲν (τῶν ἀγαθῶν) πη περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάνθ' ὁπόσα χρὴ τοιαῦτα νομίζειν τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν. Cf. *Phileb.*, 31 *a*. *Euthyd.*, 281 *e*. *Protag.*, 357 *a* sq.

illarumque conditio quæ scientiæ nominantur : unaquæque enim inter quosdam tantummodo dividitur qui ex ea nomen sibi trahunt; dum hæc inter omnes communis esse potest, neque quisquam est qui hac carere se fateatur. Nihil enim, ut ait Cartesius [1], communi sensu rectoque judicio æquabilius distributum est, quo nemo frustrari se queri, nemo se præstare ceteris gloriari sustineat. Quare quotiescumque de iis agitur quæ ad hanc boni malique scientiam pertinent, non eum tantummodo disserere sinimus qui aut physicus, aut astrologus, aut architectus, aut nauta est : omnes verba faciunt, omnes aliquid utilis se docturos, aliquam lucem se prolaturos esse confidunt [2]. Qui autem ea omnino carent insani aut scelesti habentur; quos aut sanando aut puniendo corrigendoque ad eam scientiam adducere conamur sine qua bene vivi non potest. Ceteras porro scientias semel docemur, quas ubi didicimus possidemus; ea vero non minore studio ac labore defendenda est quam quærenda, quum multa nos continuo in errorem rapere et ne recte judicemus impedire possint [3].

Quomodo autem ea non miremur quæ quotidie manifesto cernimus quæque inter se pugnare videntur : nemo est qui quid sit bonum se scire et docere posse non prædicet; nullus tamen adeo virtute eloquentiaque magister præstat ut bonos discipulos suos docendo efficere valeat. Similem in Socratica disciplina inesse discrepantiam credas : nunc enim nihil aliud esse virtutem nisi scientiam asserit, nunc eam doceri non posse confirmat. « Nostræ disputationis exitus, inquit Socrates [4], hominis instar nos accusare et deridere videtur, et, si voce uti posset, dicturus : Inepti estis, Socrates et Protagora ; tu quidem

1. Descartes, *Discours de la Méthode*, 1re partie.
2. *Protag.*, 319 *d*.
3. Vide disputationem de Simonidis versibus. *Protag.*, 343 *d* sq.
4. *Protag.*, 361 *a*, *b*.

qui superius dicebas, Socrates, doceri non posse virtutem, nunc tibi ipsi contraria studiose agis, dum ostendere conaris omnes res esse scientiam, et justitiam, et temperantiam, et fortitudinem, qua ratione maxime virtutem doceri posse conficiatur. » Vixdum ea locutus erat Socrates, quum collocutores discesserunt (ταῦτ' εἰπόντες καὶ ἀκούσαντες ἀπῆμεν) [1], rem infectam relinquentes, ita ut tenebras non solum non removisse, sed etiam auxisse viderentur. Non est tamen cur Socratem criminemur, quum illius disciplinam de scientiæ natura cognoscamus deque methodo qua juvenes ad scientiam adduci debeant.

Namque dum virtutem doceri non posse asseverat [2], ab nullo eorum qui virtutem docere se profiteantur adolescentes meliores effici posse significat [3] : rhetores in *Gorgia*, politicos viros in *Menone*, vates in *Euthyphrone*, poetas in *Ione*, sophistas denique, qui summa auctoritate eximiisque honoribus florebant, in *Protagora* confutat. Neque exempla modo adhibet, admonens quales ex illorum scholis discipuli egressi sint, magistrosque ex discipulis, tanquam ex fructibus arbores, æstimari posse affirmans (quod argumentum adversus Socratem ipsum converti posse Grotus merito advertit [4], quum inter illius auditores Alcibiades Critiasque diu locum obtinuerint) ; verum quæ sit scientia nullo pacto eos intellexisse putat.

Sapientiam enim Protagoras ex quadam doctrinarum summa et quasi corpore constare censet, quas ipse adeptus sit, quasque cum aliis communicare queat [5] ; neminem sapientem esse

1. *Protag.*, 362 *a*.
2. *Protag.*, 319 *b*. ἐγὼ γὰρ τοῦτο οὐκ ᾤμην διδακτὸν εἶναι... μηδ' ὑπ' ἀνθρώπων παρασκευαστὸν ἀνθρώποις.
3. Xén., *Mém.*, IV, IV, 5. ἐὰν δέ τις βούληται ἢ αὐτὸς μαθεῖν τὸ δίκαιον, ἢ υἱὸν ἢ οἰκέτην διδάξασθαι, μὴ εἰδέναι ὅποι ἂν ἐλθὼν τύχοι τούτου. — Cf. Plato, *Meno*, 91 *b*, *e*, 95 *d*, 96 *d*.
4. Grote, *Hist. grecque*, t. IX, ch. V, p. 299 (trad. française).
5. *Protag.*, 312 *c*. Σοφιστὴν.... ὥσπερ τοὔνομα λέγει, τὸν τῶν σοφῶν ἐπιστήμονα.... — 317 *b*. Καὶ ὁμολογῶ τε σοφιστὴς εἶναι καὶ παιδεύειν ἀνθρώπους.

Socrates judicat, eum vero philosophum recte vocari, qui, quum veritatem reperire summis viribus nitatur [1], procul semper a scientia se abesse confiteatur; ut ergo recentiorum auctorum verba usurpemus, philosophiam « esse » et a se teneri Protagoras, « fieri » Socrates arbitratur neque ullum esse qui multum in ea se profecisse merito dictitet.

Præterea hoc scientiæ verbo nihil aliud intelligendum esse quam recti animi solertiam ostendimus; de illa igitur non idem sentire debemus ac de corporalibus bonis, quæ et extranea sunt et ab aliis nobis præstari possunt. Intimum est et vere proprium hoc bonum, quod ipsi nobis, meditando et ingenium exercendo, soli possumus conciliare; ea sola scimus quæ mente comprehendere et quodam modo invenire valuimus. Magistro sane opus est, sed qui nos ducat et incitet, non qui nos erudire et informare conetur. Talis magister exstitit Socrates.

Neque enim solum se nihil ex ullo unquam homine didicisse et totius suæ philosophiæ auctorem esse (αὐτουργὸν τῆς φιλοσοφίας) vere affirmabat [2], sed eam omnium communem conditionem esse contendebat : nulla ergo in re discipulos suos erudiendos suscipiebat [3].

Non autem is est hominum animus quem doceri opus sit quique aliena ope indigeat; neque ea veritas quæ illi aliena sit : ad eam cognoscendam intelligendamque natus et compositus est; imo ad eam suo motu fertur ad eamque propria vi pervenit, nisi aliquid obsistat [4].

1. Zeller, *Philosophie der Griechen*, t. II, p. 101 (82). (Für dem Sokrates) die Philosophie ist erst philosophischer Trieb und philosophische Methode, erst ein Suchen, noch nicht ein Besitz der Warheit... Der Mensch soll wissenschaftlich und sittlich gebildet werden, aber das Mittel dazu ist einzig und allein die Erkenntniss der Warheit.

2. Xén., *Conviv.*, I, 5.

3. Plato, *Apol.*, 33 *a*. ἐγὼ διδάσκαλος οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην. — *Theætt.*, 150 *d*. Παρ' ἐμοῦ οὐδὲν πώποτε μαθόντες. — 150 *c*. ἄγονός εἰμι σοφίας.

4. Plato, *Rep.*, VII, 518 *b*, *c*, *d*. 519 *a*.

Ceterum quam boni definitionem attulerimus recordemur : haudquaquam implicatum aut conceptu difficile, sed simplex et obvium et rationi omnino consentaneum illud esse exposuimus. Ubi ergo nihil nos detinet et constringit, ipsa mentis nostræ natura et vi ad illud accedimus quod dialecticum est et bonum.

Propterea quam methodum ad docendam virtutem adhibere debeamus apparet. Adolescentis mentem erroribus et præjudicatis opinionibus primum liberare decet quibus impeditur atque irretitur, deinde animi strenuitatem excitare exercendoque majorem efficere ut ipse tandem discipulus proprio nisu se extollat ac verum bonum concipere queat. Illud ipsum sibi Socrates proposuerat variisque artibus efficiebat quas, quum a multis antea relatæ fuerint, non operæ pretium est describere.

Nihil hominibus æque funestum est, nihil eos ita a perspiciendo vero prohibet atque ille error qui omnibus communis est, per quem ea se scire arbitrantur, quæ omnino ipsis aliena sunt : falsa igitur pro veris accipiunt, ad ea cognoscenda minime laborant quæ sibi jamdudum comperta credunt, nulloque modo sapientiores melioresque evadere possunt. Quod si toties male agunt, aliaque faciunt quam quæ poscit tempus, ex hoc fit quod quid bonum sit investigare parum curant[1], quum se jampridem didicisse persuasum habeant. Illo eos errore Socrates interrogando et irridendo liberabat eoque adducebat ut nihil se scire atque immerito disciplina sua confisos esse agnoscerent.

Illum vero finem operi suo non imponebat, neque illud satis esse rebatur. Nam quamvis nihil scire homines demonstraret, scepticis minime assentiebatur quorum sententia nihil scire

1. Xén., *Mém.*, IV, I, 3, 4.

homines possunt. Ad hoc contra constitutum animum nostrum credebat ut veritatem adipisceretur. Itaque ut illud bonum quo nullum majus esse posset discipulis suis tribueret, eos quæ vera essent non docebat, sed ita instituebat ut ipsi reperire valerent. Omnis enim animus, ut ipse aiebat, fecundus est et quasi veritatis prægnans; nihil ergo aliud magister quam obstetricem imitabitur, quæ puerperæ dolores excitat et dirigit, eoque illam adducit ut, quod ipsa in se genuerit, in lucem proferat. Sic auditorum suorum ingenia stimulabat Socrates longisque interrogationibus exercebat, donec ea expromerent et vera esse agnoscerent quæ sua mens naturalem, id est dialecticum, ordinem secuta per se invenire potuisset. Animi enim non solum vires, sed audaciam quoque et libertatem augere debemus, nedum eum obsequentiæ et servituti assuefaciamus. Dialecticæ igitur peritiores eos efficiebat (διαλεκτικωτέρους ἐποίει), veramque ita scientiam discipulis conferebat quam non is possidet cui hoc vel illud scire contingit, sed is qui acutiori et rectiori ingenio, qui sapientior ideoque melior est.

Quum igitur illis artibus uteretur Socrates, virtutem se unum docere[1] et de civibus suis optime mereri[2] et diis acceptissimum esse persuasum habebat. Nihil aliud se acturum esse neque ab incepto destiturum, si vita sibi relinqueretur, jurejurando confirmabat[3]; et quoniam omnibus virtutibus ornari liberos suos omnis pater percupit, reperiri hominem exoptabat qui ita filios suos institueret, ut ipse ceteros erudiisset[4].

III. Ubi ergo de boni scientia ita censuit, nullo modo ad illius sententiam pertinere apparet quæ ad eam redarguendam objecit Aristoteles : « Nonnunquam, inquit, ita afficimur

1. Plato, *Gorgias*, 521 *d*.
2. Xen., *Mem.*, I, II, 64. Ταῦτα δὲ πράττων πῶς οὐ μεγάλης ἄξιος ἦν τιμῆς τῇ πόλει; — Cf. I, VI, 15; II, I, 19; IV, I, 2; IV, V, 10.
3. Plato, *Apol.*, 30 *a*, *b*. *Gorg.*, 521 *d*, 522 *e*.
4. Plato, *Apol.*, 41 *e*.

ut, quum scientiam possideamus, ea non utamur, ignorantibusque nihil præstemus : tum vero, rapiente libidine, male agimus[1] : ἔστι γὰρ τὸ ἐπίστασθαι διττόν, ὧν τὸ μὲν ἐστι τὴν ἐπιστήμην ἔχειν (ἐπίστασθαι γὰρ φαμεν τότε ὅταν τις ἐπιστήμην ἔχῃ), τὸ δ'ἕτερον τὸ ἐνεργεῖν ἤδη τῇ ἐπιστήμῃ. ἀκρατὴς οὖν ἐστὶν ὁ ἔχων τὴν ἐπιστήμην τῶν καλῶν, οὐκ ἐνεργῶν δ'αὐτῇ. Illam vero doctrinam Socrates jam refellerat et in *Theæteto* non eam esse scientiam demonstraverat, qua simul instructi et inopes exsistere possemus[2]. Instat Aristoteles[3] : altera est, ait, universalis, altera particularis scientia : sunt qui naturam boni generaliter sciant, hoc vero singillatim bonum esse ignorent : ἔστιν οὖν ὁ τῇ μὲν καθόλου ἐπιστήμῃ ἐπίσταμαι, τῇ δ'ἐπὶ μέρους οὔ.... ὡσαύτως τοίνυν ἐπὶ τοῦ ἀκρατοῦς τοῦ τὴν ἐπιστήμην ἔχοντος ἡ αὐτὴ ἁμαρτία συμβήσεται. ἐνδέχεται γὰρ τὸν ἀκρατῆ τὴν μὲν καθόλου ἐπιστήμην ἔχειν ὅτι τὰ τοιαῦτα φαῦλα καὶ βλαβερά, μὴ μέντοι γε ὅτι ἐστὶ ταῦτα φαῦλα ἐπὶ μέρους εἰδέναι. Quod adversus Socratis doctrinam nihil valere ex ipsius Aristotelis confessione manifestum est : Ὀρθῶς τὸ Σωκρατικὸν, ὅτι οὐδὲν ἰσχυρότερον φρονήσεως· ἀλλ' ὅτι ἐπιστήμην ἔφη, οὐκ ὀρθῶς, ἀρετὴ γὰρ ἐστι καὶ οὐκ ἐπιστήμη[4]. Atqui quod Aristoteles φρόνησιν, hoc maxime Socrates ἐπιστήμην vocat; ita ut, si scientiam verbis definire voluisset, his ipsis verbis uti potuisset, quibus φρόνησιν Aristoteles describebat : ἀρετὴν διανοίας καθ' ἣν εὖ βουλεύεσθαι δύνανται περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν[5]. Non enim eam scientiam appellat quæ vanam animi curiositatem expleat, quaque, dum hoc sciamus, illud tamen ignoremus, sed ipsam ingenii solertiam firmitatemque qua verum invenire et a falso discernere valemus. Quum igitur nonnisi recta judicia feramus,

1. Arist., *Magn. Mor.*, II, vi, 1201 *b*. Cf. *Eth. Nic.*, VII, iii, 1147 *a*. *Eth. Eud.*, I, v, 1216 *b*.
2. Plato, *Theæt.*, 197 *b* — 200 *d*. ὅρα δὴ καὶ ἐπιστήμην εἰ δυνατὸν οὕτω κεκτημένον μὴ ἔχειν;
3. Arist., *Magn. Mor.*, II, vi.
4. Arist., *Eth. Eud.*, VII, xiii.
5. Arist., *Rhetoric.*, I, 9, 1366 *b*, 20. *Eth. Nic.*, I, i, 1094 *b*, 4.

majorem nunquam ex illis rebus voluptatem percipimus quæ reipsa pejores sunt, eaque ante omnia diligimus, quæ vere optima sunt. Nos ex omni voluptatum servitute ratio expedit : « Libertatem, ut ait Leibnitzius, rectus intellectus alit et tuetur[1]. »

1. Leibnitz. L'intelligence est comme l'âme de la liberté. *Théod.* 3e partie, 288.

CAPUT V

QUID IN SOCRATIS DOCTRINA DESIDERANDUM VIDEATUR

Sed per illa ipsa adducimur ut de iis verba faciamus quæ in Socratis doctrina desideranda videantur.

Nemo est profecto apud antiquos qui de virtute grandiora et generosiora locutus sit : nos enim continuo admonet quam pulchrum [1] et magnum et hominis naturæ conveniens sit bene agere; nullum sine virtute felicem esse crebris disceptationibus ostendit; quam fœda, turpia, abjecta et hominis indigna sint vitia, quantam nobis perniciem afferant demonstrat. Nunquam autem longius progreditur.

Eodem ipso loco constiterunt omnes antiquiorum temporum philosophi. Stoici enim, qui officii nomen toties usurpaverunt, quantam vim haberet non plane intellexerunt : illo enim verbo eas partes significabant quas hominem, quum tali natura præditus esset, sibi assumere et constanter agere conveniret, dummodo rationem ducem sequi vellet.

Hoc autem in maximis Kantii laudibus ponendum est, quod veram officii nostri naturam ejusque legis quæ conscientia nobis injungitur primus distincte perspexit et illustravit.

1. Xén., *Mém.*, III, VIII, 5. Σὺ δ'οἴει ἄλλο μὲν ἀγαθόν, ἄλλο δὲ καλὸν εἶναι;

Etenim non solum honeste et gloriose facit dignitatique suæ plurimum addit, qui virtutem colit, sed suo hominis munere fungitur, eique legi obsequitur quæ summo eum imperio in nos regnat; quicumque vero bene non agit, quique non solum boni aliquid sed quam plurimum boni quamque optimum non facit noxius, neque contemptu modo, sed gravi pœna dignus est : ex hoc fit ut supplicia quæ civilibus legibus irrogentur non solum reipublicæ utilia sed etiam justa esse æstimemus.

Non eadem huic, quæ hominum voluntati imponitur, species est aliisque legibus quæ solida corpora moderantur. Necessario enim fatalique fœdere res continentur, ex quo se eripere, quod commutare nequeunt : sequitur ut ex lege semper, scilicet dialectico ordine, phænomena gignantur. Nos contra, quum libero voluntatis arbitrio præditi simus, quæ bona, utpote dialectica, sunt, nulla necessitate cogimur ut faciamus, neque unquam nisi ultro exsequimur : ea prætermittere et contemnere semper possumus; sed quum sic agere nos ratio jubeat, noxios esse nos sentimus.

Ut enim cum ceteris non ita res se habent cum hac scientia quæ virtutem constituit. Qui mathematica physicave aut astrologiam didicit ceteris certo antecellit qui ea ignorant; imo ea omnino nescire homini turpe est qui in tali conditione vixit ut iis studere posset : nemo talem tamen ignorantiam scelestam esse dicat. Ea enim nosse omnes non opus est; sunt qui his præstare nullo modo possint; sunt etiam qui magis necessariis laboribus distineantur. Boni vero scientiæ ut summa opera studeat omnis homo sacratissima lege obstringitur; parvi eam facere nefas est, puniendusque is qui eam ignorat : Nam quum nihil ea requirat nisi ut mentem rationemque nostram solute acriterque exerceamus, quumque ad id neque librorum lectione, neque magistrorum institutione, sed propriis

privatisque ingenii nostri conatibus opus sit, nemo est qui eam adipisci nequeat.

His Senecæ verbis toties laudatis, toties lacessitis, tota continetur Socratis doctrina planeque explicatur : « Nec sine virtute philosophia, nec sine philosophia virtus esse potest[1]. » Quam enim ille philosophiam, eamdem noster scientiam vocat. Nullo modo fieri potest ut bonum hic non exsequatur qui cognoverit et a pravo discreverit, ille perficiat qui philosophia omnino careat. Non autem docti philosophique nomine dignus est qui veterum libris impalluit aut in nobilissimorum magistrorum ludis consenuit : quicumque vero secum cogitat et ratiocinatur, res vera æstimatione perpendit, nec vanis imaginibus, nec præjudicatis opinionibus deluditur, acri rectaque ratione utitur, is vere scientia et philosophia inter ceteros eminet. Hic demum bene vivit qui sui unius juris est, quique universas leges semper sequitur. Inter illos Socrates numerari debet quos quidam nostra memoria intellectualistas appellaverunt[2]. Quum igitur nullum homini majus bonum esse crederet, quam rationis libertatem, illud suis civibus præstare conatus est[3] ; non autem satis moralem colorem suæ disciplinæ induxit nec quænam hominibus factorum suorum ratio reddenda esset reperit.

Non recte de nostræ voluntatis libertate judicavisse Socratem luculente exposuit A. Fouillée[4] ; quæ vero illius erroris causa fuerit nobis nunc apparet. Etenim nullo validiori argumento humana libertas demonstratur quam eo quod ex moralis legis ineluctabili auctoritate Kantius traxit : hanc ergo quum Socrates igonraverit, non est cur miremur si illam minime perspexerit.

1. Seneca, *Epist.*, 89.
2. A. Fouillée, *Philosophie de Socrate.*
3. Zeller, p. 136 (109). Die leitende Idee seiner Moral ist weniger die sittliche Reinheit, als die geistige Freiheit der Menschen.
4. A. Fouillée, *Platonis Hippias Minor.*

Quod quum ita sit, omni ex parte penitus vera est Socratis de natura virtutis doctrina; non omnes tamen numeros habet : nihil nisi verum docuit, sed eum nonnullæ fugerunt veritatis partes. Eamdem esse virtutem et scientiam jure contendit, acri ratione rectoque judicio opus esse, nullam vero aliam rem requiri, ut bene ageremus ; hoc autem muneris suprema lege impositum est ut acrem rationem rectumque judicium nobis pareremus. Extrinsecus, ut ita dicam, res semper consideravit Socrates : cur hæc vel illa facinora bona essent docuit, non cur hæc vel illa agentes bene faceremus ; quæ absolute quæque moraliter bona essent non discrevit. Bene facit, inquit Socrates, qui secundum rationem vivit. Cur vero ita res se habent ? Quia, ut ait Kantius, ita nos facere lex munusque nostrum imperant.

Ceterum a tota cognoscenda veritate parum abfuisse Socratem ex Epimethei Prometheique fabula intelligimus [1] qua, ut nobis videtur, omnis illius disciplina allegorice effingitur. — At enim non in Socratis sed Protagoræ oratione positus est ille apologus, ita ut ad Sophistæ doctrinam magis pertinere videatur [2]. Quid ergo ? Quum illi Socrates plane assentiatur neque semel alludat, verum procul dubio illum esse existimavit et quodam modo suum fecit : si quid enim corrigendum aut addendum credidisset, id silentio neutiquam præterisset.

1. *Protag.*, 320 *d* — 323 *c*.
2. Erravisse credimus Schleiermacherum qui hanc fabulam inter Platonis mythos non censet esse ponendam, quum Protagoræ dicendi genus et ipsa forsitan verba auctor imitatus sit nihilque aliud protulerit, nisi « grobmaterialistiche Denkungsart, die über die Sinnliche Erfahrung nicht hinaus philosophirt » (*Einleitung zum Protag.*, vol. I, p. 233-234). Simili modo Astius (*Plato's Leben*, p. 71), hac fabula exponi scripsit « Sophistæ vulgares abjectosque sensus, qui omnia, artes etiam civiumque concordiam ex hominis inopia atque utilitate deducebat. » — Item Kroschelio videtur tota hæc fabula repetita esse ex Protagoræ libro περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως; quanquam quid in ea imitatione expressum sit, non satis certo definiri possit, quum de Protagoræ dicendi genere nihil memoriæ traditum sit (*Annot. ad Protag.*, 320 *d*).

Ex ista ergo fabula quæ Socrati sententia fuerit cognoscere licet.

Tria sunt quæ hominem ad agendum impellant [1]. Quædam enim omnibus animantibus Epimetheus, quædam paucis præstantibus viris Prometheus, quædam omnibus hominibus Jupiter ipse largitus est. Omnes mortales inopia quodam quasi aculeo instigat; sed ita creata cetera animalia sunt ut et adversus multa pericula suapte natura defendantur et ad ea agenda quæ sibi ad tuendam vitam necessaria sint ingenito instinctu ferantur. Sunt in nobis quoque similes impetus, pauciores tamen infirmioresque; sed multa usu et experientia (ἐπιμηθείᾳ) docemur. Quotiescumque igitur animalium ritu, utilia sequimur, Epimethei donis uti dicimur. At quum nulla alia unquam pecudes appetant, longe alia ratione nos sæpe agimus. Quibusdam enim Prometheus favit, illosque Vulcani et Minervæ muneribus instruxit : altius igitur illis et fecundius inest ingenium; illi futura prævident; illi ingentia consilia suscipere prudenterque perficere queunt, illi finem longinquum sibi

1. Non nobis videtur A. Fouillée quantam vim haberet ille apologus recte vidissé quidque præsertim esset illud donum quod omnibus mortalibus a Jove tributum esset, dum ad virtutem pertinere quæ de Epimetheo Prometheoque dicerentur perperam interpretatus est : Epiméthée personnifie l'ευτυχία, produit d'une distribution arbitraire des choses ou d'une opinion imprévoyante; Prométhée personnifie l'ευπραξία, vertu de prévoyance et de science, la seule sûre et la seule durable. Epiméthée (ἐπι-μηθεύομαι) ne voit que l'instant présent et cède toujours à une sorte d'inspiration instantanée; aussi distribue-t-il les choses tantôt bien, tantôt mal. Prométhée prévoit l'avenir et ne se trompe jamais; il est le véritable auteur de sa vertu. A en croire Protagoras, Mercure, dieu du hasard, aurait distribué à tous également la pudeur, la justice, la vertu politique, comme si toutes ces choses étaient indépendantes de la science. Mais en réalité ce n'est ni la nature, ni l'instinct, qui engendre les vertus; elles sont l'œuvre de l'intelligence; elles sont l'étincelle ravie au foyer de la pensée divine et qu'il dépend de nous de faire reluire au fond de notre âme. En un mot, Epiméthée est l'opinion ou l'instinct, Prométhée est la raison et la science, et Socrate préfère de beaucoup le second au premier. Prométhée pourra enseigner aux autres sa vertu, parce qu'il s'en rend compte; Epiméthée ne le pourra jamais. (A. Fouillée, *Philosophie de Socrate*, t. I, p. 320.)

proponunt rectissimaque via assequuntur; alii aliis artibus præcellunt gloriamque adipiscuntur, illorumque laboribus continuis melior fit in dies hominum conditio. Id tamen parum erat ut homines, prout eorum natura ferebat, inter se societatem conjungere, civitates condere ac pace frui possent. Illos ergo misertus Jupiter, Mercurio, ministro suo, jussit ut hominibus rationem, judicium moralemque sensum conferret : cujus duplicem nobis formam tribuit, pudorem scilicet (αἰδῶ), vel nostræ dignitatis intellectum, per quem quanta erga nosmet ipsos officia habeamus sentimus, et justitiam (δίκην) qua de nostris erga ceteros officiis admonemur (nam inter justitiæ partes pietatem Socrates annumerat, quæ nos ad colendum deum excitat)[1]. Quum autem ea inter omnes distribui jusserit, nemo est qui quæ bona sint perspicere, et docere, et amare, et facere nequeat.

Quid igitur Socraticæ fabulæ addendum sit luce nunc manifestius apparet. Quum non solum deorum sapientissimus optimusque, sed hominum cœlestiumque rex sit Jupiter, non recte judicandi solum et amandi et agendi facultatem nobis indulsit, sed eam legem omnibus imposuit ut quæ bona essent cognoscere, deligere et perficere summis semper conatibus niteremur.

1. Plato, *Euthyphro*, 12 *e*.

Vidi ac perlegi
Lutet. Paris. in Sorbona,
a. d. II non. Jun. an. 1879.
Facultatis litterarum in Acad. Paris.
Decanus
H. Wallon.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

INDEX

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD.